

The Dream Quest of Unknown Kadath

SOMNIS QUAERITUR

IGNOTA CADATH

scripsit

H. P. LOVECRAFT

(Eratosthenus Neo-Anglus)

in latinum vertit

Alexander Ricius

Parisiis

MMVIII

à Jean-Baptiste Siegel

(1984-2006)

qui aima cette histoire

In piam memoriam

(Odys. IV, 809)

Somnis quaeritur ignota Cadath

Ter Randolphus Carter in somnis vidit urbem mirabilem, ter autem ereptus est cum in alto solarium super urbe demoraretur. Tota aurea et lepida sole occidente splendebat: moenia, templa, porticus, marmorei pontes arcuati, fontium labra argentea irides spargentia in foris amplis hortisque odoratis, plateae arboribus gracilibus urnisque floridis praetextae, imagines eburneae nitide ordinatae; in arduis vero clivis septentrionalibus pluries superponebantur tecta rubra, et fastigia vetera angiportus herbis stratos tuebantur. Deorum aestus, divinarum tubarum sonitus, immortalium cymbalorum clangor existebat. Mysterium circumpendebat sicut nubes circum montem fabulosum atque intactum; Carterum autem exspectatione anhelantem ad plutei cancellos stantem inundabant acerbum desiderium fere deletarum memoriarum, dolorque rerum amisarum, furiosaque cupiditas iterum spatiandi ubi olim fuit locus formidolosus atque portentosus.

Noverat olim sibi supremum certe fuisse ejus sensum; at ambiguum erat quo saeculo quaque incarnatione eam cognovisset, utrum in somnis an vigilans vidisset. Obscure inde oriebantur fragmenta priscinae juventutis jamdiu in oblivione delapsae, cum in dierum mysteriis latebant admiratio et voluptas, cumque aurora et crepusculum pariter propheticè consurgebant inter citharas et cantus, quibus aperiebantur igneae portae ad alia novaque mirabilia. At nocte quaque cum in sublimi illo marmoreo solarium extraneis urnis caelatisque cancellis ornato staret atque urbem prospiceret tranquillam in solis occasu inque immanentia ejus pulchra ac supramundana, severorum deorum vinculis

opprimebatur ; nam nullo modo ipsi celsum hunc locum relinquere licebat ut per latos marmoreos gradus sine fine descenderet ad vias illas priscae magiae patentes et allicientes.

Cum autem tertio experrectus neque scalis illis descendisset neque vias illas sole occidente tranquillas transivisset, diu ac intente occultos somnii deos precatus est qui ultra nubes super ignotam Cadath ventosi incumbunt, in algidis desertis sine hominis vestigio. Sed di non responderunt neque mitigati sunt ; nullum secundum auspiciam fecerunt cum illos in somnis precatus sit eosque sacris factis invocaverit per barbatos sacerdotes Nasht et Caman-Thah, quorum templum cavernosum cum columna ignea sua haud procul a vigilis mundi portis jacet. Attamen visum est infense auditas esse ejus preces, nam postquam vel primum oraverat, urbem mirabilem omnino aspicere desiit, quasi forte contigissent terni priores conspectus sive negligentia quadam, contra deorum secretum quoddam propositum seu vota.

Morbifice tandem ad illas vias occidente sole micantes crypticosque angiportus sub antiquis tectis et tegulis inter colles aspirans, cum neque dormiens neque vigilans ea a mente expellere valeret, consilium cepit Carter audacem exhortationem illuc ferre quo prius nemo iverat, perque obscura gelidas solitudines aggrediendi illuc ubi ignota Cadath, nubibus involuta stellisque incogitatis coronata, secretum atque nocturnum onychis castellum Megistorum servat.

In levi sopore per septuaginta gradus ad Flammae specum descendit propositumque suum barbatis sacerdotibus Nasht et Caman-Thah reseravit. Qui tiarati sacerdotes renuerunt et monuerunt id ipsius animae mortem fore. Arguerunt Megistos jam voluntatem suam significavisse illisque ingratum esse perseverantibus precibus vexari. Et admonuerunt non solum neminem Cadath pervenisse, sed etiam plane ignotum esse ubi universorum jaceret : utrum in plagis somnialibus circum nostrum mundum, an circum quempiam inauditum Fomalhauti Aldebaranive satellitem. Quod si in regione somniali nostra, Oniria scilicet, fuisset, adviabilis quidem esset, sed a temporum principio tres tantum plene humanae animae atras impiasque abyssus ad alias somniales plagas transivissent redivissentque, quorum duo dementes admodum reduces fuissent. In tanta peregrinatione, in locis omnibus

pericula innumerata essent, necnon nefarium illud ultimum periculum quod infande strideret quo nullum somnium perveniret, extra universum ordinatum ; illa extrema informisque infimae confusionis lues, media in infinitate blasphemans et bulliens – illimitatus daemon sultanus Azathoth, cuius nomen nulla lingua pronuntiare auderet quique avide in tenebricosis incomprehensisque cameris ultra tempus roderet, inter surda atque dementer canentia tympana interque tenues et taediosos scaelestarum tiliarum gemitus ; quorum odiosis rhythmis tarde, inscite, absurbe tripudiarent ingentes Ultimi dei, illi caeci, muti, taetri, amentes Dii Alieni, quorum anima et nuntius esset reptans chaos Nyarlathotep.

De his in flammae specu a sacerdotibus Nasht et Caman-Thah admonitus Carter tamen consilium cepit deos invenire super ignotam Cadath in algida solitudine, ubicumque esset, abque illis visionem, memoriam, refugium assequi mirabilis in solis occasu urbis. Sciebat extraordinarium longumque fore iter, adversosque Megistos ; sed ut Oniriae veteranus multis utilibusque memoriis et latebris nitebatur. A sacerdotibus benedictionem sollemnem poposcit atque cursum sagaciter mente reputans, audax septingentos gradus descendit ad Gravioris Somni Portam perque Nemus Incantatum profectus est.

In illius nemoris anfractibus, cuius quercus prodigiosae ad humum usque frondes circumplicabant fungisque miris lucebant obscure, furtivi ac secreti habitabant Zoogi, quibus multa Oniriae arcana nota erant necnon vigilis mundi aliquot, nam nemus binis locis hominum regiones contingit, quamquam nefas esset ea indicare. Ubi accessus Zoogis datur, apud homines rumificatur mira accidere quaedam et quosdam evanescere ; expedit ergo istos a somniorum mundo procul iter facere non posse. Sed libere Oniriae propiores partes transeunt, parvi et fulvi et invisii volitantes, unde fabulas referunt quas narrantes circum focos in silvis sibi dilectis horas fallunt. Plerique eorum cuniculos habitant, nonnulli autem in magnarum arborum truncis vivunt ; cum vero plerumque fungis pascantur, fama susurrat eos a carne non abhorrere, sive corporea sive spiritali, nam certum est multos somniores nemus invisisse neque umquam exivisse. Non timebat autem Carter, quippe qui somniator erat veteranus eorumque sermonem palpitantem didicerat

atque cum eis pluries foedus fecerat. Eis adjuvantibus urbem splendidam Celephaidem reppererat in Ooth-Nargai ultra Tanarianos colles, ubi semestre regnum occupabat magnus rex Curanes, quem virum alio nomine vocatum in vita cognoverat. Curanes enim una anima fuerat quae ad gurgites stellatos iverat unde mente sana redierat.

Dum in humiles sublucidosque canales inter truncos ingentes se insinuat, Carter Zoogorum more gannitus emisit interdumque utrum responderent auscultabat. Meminerat harum creaturarum vicum medio in nemore esse, ubi magnorum saxorum muscosorum circulus in quondam luco insitorum revelat ibi vetustiores et terribiliores incolas fuisse jamdiu in oblivione delapsos; illuc gradum celeravit. Viam monstruosorum fungorum auxilio reperiebat qui semper eo pinguiores videntur quo propius instat dirus ille circulus ubi majores entitates tripudiaverant et sacra fecerant. Tandem lucidiores crassioresque fungi immanitatem viridem ac cineream manifestaverunt trans summam silvam ultraque conspectum productam. Hic proximus erat saxorum circulus magnus, inde novit Carter se prope Zoogorum vicum venisse. Iteratis gannitibus, patienter oppertus est. Cujus operae merito tandem suspicatus est oculos plures in se conici. Zoogi videlicet erant, nam eorum insoliti oculi longe prius aspiciebantur quam cernerentur eorum parvae, flavae, lubricae figurae.

Ex intimis cuniculis arboribusque favis ornatis affluerunt adeo ut totam subobscuram aream celebrarent. Rudiores quidam injucundius Craterum triverunt; unus quidem aurem ejus vellicavit obscaene, sed majores istum cito retinuerunt. Senatus autem cum hospitem agnoverunt, succi fermentati lagoenam protulerunt ex arbore infestata aliarum dissimillima quae e germine creverat a Luna deciso. Dum rite bibit Carter, mirum colloquium initum est. Infeliciter nesciebant Zoogi ubi terrarum Cadath cacumen jaceret, neque utrum gelida solitudo in mundo nostro somniali esset an in alio quodam dicere poterant. Rumores de Megistis pariter ex omnibus regionibus veniebant; hoc unum veri simile erat quod in altioribus montibus potius quam in vallibus illi aspici possent, quoniam in illis cacuminibus commemorationis causa tripudiant, cum sursum sit luna deorsumque nubes.

Tunc Zoogus quidam aetate provectissimus aliis inauditum quid recordatus dixit Ultharae, ultra flumen Scae adhuc superesse novissimum exemplar incredibiliter antiquorum manuscriptorum Pnacoticorum ab hominibus vigilibus exaratorum in regnis borealibus oblivione contritis quae ad somniorum plagam allata sunt cum pilosi anthropophagi Gnophchae Olathoem vicerunt multorum templorum oppidum omnesque regni Lomari heroes interfecerunt . Manuscripta illa, ait, multa de diis referebant ; insuper Ultharae homines essent qui deorum signa vidissent, necnon sacerdos senex quidam qui altum montem conscendisset ut illos ad lunam tripudiantes spectaret. Secus quidem cessisset, at socio ejus successisset atque infande perisset.

Itaque Randolphus Carter Zoogis gratias egit, qui comiter gannitus emiserunt eique lagoenam alteram dederunt lunaris arboris vini ut secum ferret ; per nemus sublucidum profectus est illuc ubi torrens Scaea a Lerione defluit planitiemque signant oppida Hatheg et Nir et Ulthara. A tergo autem furtivi invisique repebant nonnulli curiosi Zoogi, nam scire cupiebant quid illi contingeret ut fabulam genti suae referrent. Quo magis procul a vico progrediebatur eo crassiores crescebant amplae quercus, at eum locum acute oculis quaerebat ubi aliquantum graciliores fierent, sive mortuae sive moribundae inter fungos praeter naturam pingues et muscum putridum et mucida collapsarum arborum tigna. Ibi enim cursum profecto flectere oportebat, nam in loco illo ingens quadra lapidea jacebat in silvae humo ; qui enim ei appropinquare ausi sunt referunt anum ferreum affixum esse tripedalem. Antiqui circuli magnis muscosisque saxis facti memores atque quem ad finem institutum sit suspicantes Zoogi prope ad magnam quadram ingentemque anum non demorantur, nam eis notum est non necesse mortuum sit id cujus memoria perierit neque placeat quadram videre lente et consulto surgentem.

Carter viam flexit in loco idoneo atque a tergo audivi Zoogos timidiores pavide linguis palpitantes. Noverat eos se secuturos fore neque perturbatus est, nam istarum creaturarum scrutantium moribus assuescit homo. Dubia erat lux cum ad extremum locum venit, at lumen crescens indicabat diluculum esse. Super campos fertiles ad Scaeam undantes fumos aspexit e casarum caminis, ubicumque erant sepes et

arva et tecta straminea placidae terrae apta. Ad villulae puteum substitit ut aquam hauriret atque omnes canes territi Zoogos allatraverunt in herba post ipsum surrepentes. In casa alia, ubi se movebant homines, de diis percontatus est, utrum saepe super Lerionem tripudiarent, at agricola uxorque sua Priscum Signum tantum fecerunt eumque viam ad Nir Ultharamque docuerunt.

Hora meridiana juxta unam Nir plateam gradiebatur, quem locum olim viserat ut priorum itinerum in has regiones extremum ; postea cito ad pontem lapideum trans Scaeam venit, in cujus media parte structores vivam humanam victimam condiderunt cum eum tredecim ante saeculis instruxerunt. Pontem ultra, frequentes feles (quae omnes aspectis eum subsequentibus Zoogis tergis arcuatis horrescebant) proximam esse Ultharam indicabant, nam Ultharae antiqua et gravis lex monebat nefas esse feles occidere. Iucundissima erant suburbia, cum casulis viridibus et bene saeptis praesidiolis ; etiam iucundius erat ipsum oppidum, comptis apicatis tectis et impendentibus super tabulatis et innumeratis vasibus caminariis et angustis clivosis viis ubi veteres lapides aspiciuntur quandocumque feles lepidae aspiciendi locum concedant. Cum semivisi Zoogi aliquantulum murilegos fugarent, recta via progressus Carter ad Priscorum Deorum templum modestum ubi ferebat fama sacerdotes esse veteresque annales ; ut in sacram rotundam hederaceam turrim intraverat, quae apex lapideus erat Ultharae summi collis, Atalem patriarcham quesivit, qui vetitum cacumen Hatheg-Kla conscenderat in solitudine lapidosa atque vivus descenderat.

Atal super suggestu eburneo in summi templi fano caelato sedebat ; plene saecula tria natus erat, at mens memoriaque sat valebant. Ab illo multa de deis didicit Carter, praecipue eos nonnisi terrestres deos esse qui ignave Oniriam nostram regant, at alibi potestate mansioneque careant. Si animis propensi existant, ait Atal, fieri potest ut hominis preces exaudiant, sed nemini liceat ad illorum onychinam arcem conscendere super Cadath in algida solitudine. Feliciter nemo sciat ubi emineat Cadath, nam ascensionis fructus pergravis sit ; Atalis socius Barzaeus Sapiens ululans in caelum arreptus est, qui nonnisi notum cacumen Hatheg-Cla conscenderit. Valde pejus sit, reperta ignota Cadath ; nam etsi sapiens mortalis aliquando dis terrestribus superare

possit, hi patronos habeant Deos Alienos extraneos, quos expediat non attingere. Bis saltem in mundi historia sigillum suum impresserint Di Alieni in Terrae primaevo granita : primo in temporibus ante Diluvium, ut suspicari liceat ab imagine quadam in illis Manuscriptorum Pnacoticorum fragmentis delineata quae antiquiora sunt quam ut fas sit ea legere ; dein, in monte Hatheg-Cla cum Barzaeus Sapiens deos terrestres ad lunam tripudiantes aspicere voluerit. Expedit igitur, ait Atal, omnes deos arcere nisi in subtilibus precibus.

Quamquam Atalis adversa consilia Carteri spem minuerunt, necnon paucum auxilium quod in Manuscriptis Pnacoticis et Hsan Septem Libris Crypticis inveniendum erat, tamen spem non omnino rejecit. Primo senem sacerdotem percontatus est de illa mirabili solis occidentis urbe e solarii cancellis conspecta, aestimans se eam reperi posse sine deorum auxilio, sed Atal nihil monere valuit. Veri simile est, inquit, locum esse proprium Carteri mundi somnialis, non communis visionum plagae multis notae ; et fieri possit ut in planeta aliena situs sit. Sed id non probabat, quia somnia interrupta clarius demonstrabant Megistos locum celare velle Carterum.

Tunc ille improbum quid perpetravit : sacerdoti candido vini lunaris quod sibi dederant Zoogi tam multos haustus obtulit ut senex praeter rationem garrere inceperit. Sublata moderatione, miser Atal profuse de interdictis frigutiebat ; de imagine quadam narravit quam viatores in dura montis Ngranek rupe, in insula Oriaba Maris Australis, incisam referebant, atque submonuit eam similitudinem esse posse quam di terrestres olim suae ipsorum faciei fecerint in diebus cum in monte illo ad lunam tripudiarent. Etiam inter singultus dixit imaginis illius figuram admodum miram esse eamque certum genuinae deorum prolis signum.

Ilico Cartero licuit haec omnia usui esse ad deos inveniendos. Constat enim Megistorum juniores dissimulanter hominum filias saepe uxores ducere, ita ut agricolae ad solitudinis algidae limitem ubi insit Cadath omnes illorum consanguinei profecto existerent. Quapropter solitudinis inveniendae via sit vultum saxosum inspicere in Ngranek figuraeque curiose meminisse ; dein, talis figura inter homines vivos quaerenda sit ; ubi maxime conspicua fiat et densa, ibi proxime habitent

di ; atque qualiscumque saxosa solitudo post pagos jaceat, ibi nimirum insita sit Cadath.

Multum de Megistis in his plagis discere liceat, iique qui illorum sanguinis heredes sunt simul memoriolas hereditaverint quae usui sint quaesitori. Hi vero majorum suorum ignari esse possint, nam dis adeo odio est hominum familiaritas ut nemo inveniatur qui illorum vultus consulto aspexit (quod Carter animadverterat dum Cadath reperire conatur). Sed his notiones esse possit extraneae et excelsae sociis suis parum intellegibiles ; loca laudent illi longinqua hortosque adeo omnium notorum dissimilia et in Oniria ut vulgus eos stultos vocent. Ex iis ergo liceat antiqua Cadath secreta discere vel aliquid noscere de mirabili in sole occidente urbe quam di occultabant ; porro dii dilectiorem filium pro obside aliquando arripere, vel deum juvenem dissimulate inter homines cum venusta rusticaque sponsa commorantem apprehendere.

Nesciebat autem Atal qua Ngranek peteretur in illa insula Oriaba, at suasit ut Carter melicum Scaeam sub pontes fluentem ad Mare Australe sequeretur ; illuc nullus civis Ultharanus umquam ivit sed illinc veniunt negotiatores navibus vel longis mularum plaustorumque com meatibus. Ibi est urbs magna nomine Dylath-Leen, sed male Ultharae audiebat propter atras triremes quae illuc carbunculos a dubia ora ferebant. Mercatores triremibus vecti ad negotiandum cum gemmariis homines quidem, vel quasi homines essent, sed numquam remiges conspicerentur ; neque salubre Ultharae habebatur cum atris navibus negotiari a terris incognitis quarum remiges non exhibebantur.

Ut id ediderat Atal, jam valde somnolentus existebat eumque Carter in lecto ebenino decoratoque reclinavit ; illius longam barbam super pectus decore collegit. Cum regressurus esset, animadvertit jam nullam suppressam palpitantemque vocem prope audiri atque miratus est cur Zoogi curiosam vestigationem relaxaverint. Tunc observavit omnes nitidas feles Ultharanas singulari studio et complacentia latera sua linguentes atque stridores sibilosque surdos recordatus est quos ex inferiore templo audiverat dum totus cum sene sacerdote colloquitur. Etiam recordatus est singulariter impudentem Zoogum parvulum nigrum catulum cum famelica aviditate intuitum esse foris in via silicibus strata. Quia nihil gentium magis quam parvulos nigrosque

catulos amabat Carter, demissus nitidas feles Ultharanas blanditus est neque contristatus est quod curiosi Zoogi amplius se non secuturi forent.

Iam occidebat sol, atque Carter in vetere diversorio commoratus est in praecipite angiportu insito super oppidum inferius. Cum ad cubiculi sui maenianum exierit ut rubrorum tectorum tegulatorum aequor contemplaretur et vias stratas et agros amoenos ulterius, eosque omnes languidos et magicos in luce occidua, juravit Ultharam locum fore aptissimum ad semper habitandum, nisi majoris in sole occidente urbis memoria stimulet ad ignota pericula porro facienda. Tunc, vesperscente caelo, gypsatorum fastigiorum parietes rosaei purpureo et mystico colore imbuti sunt, cum parva lumina flava singillatim accenderentur in veteribus fenestris transennis ornatis. Dulci concentu sonaverunt campanae sursum in templi turri, prima stella molliter scintillavit super prata trans Scaeam. Noctis comes advenit cantio, dormitabatque Carter cum citharoedi antiqua tempora laudarent e maenianis diatretis ornatis areisque tessellatis Ultharae simplicis. Etiam in multarum Ultharanarum felium vocibus suavitas infuisset, nisi eae plerumque graviores et mutiores prae miris epulis evasissent. Nonnullae furtive ad illa cryptica regna felibus tantum nota profectae sunt, quae pagani ferunt in lunae parte tenebrosa esse, quo feles a summis aedibus saliunt, at parvus catulus niger sursum inrepsit atque ad Carteri sinus insiluit ubi susurraret luderetque, dein ad pedes illius se complicuit cum tandem ille in lecto decubuit, cujus pulvilli herbis odoriferis et somnificis farti erant.

Mane Carter commeatum convenit negotiatorum qui Dylath-Leen petebant Ultharâ lanam eductam et operosorum agricolarum brassicas ferentes. Dies sex inter tintinnabula iter fecerunt per planam viam secundum Scaeam; modo in lepidorum pagorum piscatoriorum cauponis pernoctabant, modo sub divo, dum piscatorum cantiunculae a placido flumine incerte audiuntur. Perpulchrum erat rus, cum viridibus saeptis et boscis et venustis casis apicatis et molinis octangulis.

Die septimo fumus prorsum oriens conspectus est, deinde procerae nigrae turres Dylath-Leen, quae plerumque basalte aedificata est. Dylath-Leen tenuibus turribus angulosis instructa eminus aliquantum Hiberniae Gigantum Aggeris similis videtur, ejusque viae atrae sunt et

iniucundae. Multae sunt prope ad sexcentas crepidines navales maestae popinae maritimae omnesque vicos celebrant extranei nautae ex omni gentium terra necnon aliqui qui terrae non oriundi dicuntur. Carter illius urbis mire vestitos homines percontatus de Ngranek cacumine in insula Oriaba repperit eos id bene novisse. Naves a Baharna illius insulae portu venirent, quarum una infra mensem illuc reditura esset ; Ngranek autem biduo tantum cui zebra veheretur a portu illo distaret. Pauci tamen Dei saxosum vultum viderint, quia in Ngranek difficiliore latere esset, unde praerupta saxa tantum et taetrae laevae vallem pro-spiceretur. Olim in illo latere hominibus irati essent Dii, qui de hac re Dis Alienis locuti essent.

Haud facile haec a negotiatoribus nautisque in Dylath-Leen popinis maritimis didicit, cum ii plerumque de atris triremibus murmurare mallent. Quarum una infra septimanam appulsuram erat ab ignoto littore cum carbunculis, huncque adventum timebant cives. Ora hominum qui e nave descendebant ad negotiandum nimis lata erant, nimisque foede super frontes binis locis prominebant istorum mitrae. Et calceamenta istorum longe curtissima mirissimaeque erant omnium quae in Hexapoli umquam visa sunt. Sed omnium pessimum erat quod ad remiges invisos pertinebat. Triplicum transtrorum remi isti nimis velociter nimisque accurate movebantur quam ut tranquillarentur animi, neque fas erat naves per septimanas in portu commorari, cum negotiaretur, quin numquam aspicerentur nautae. Id detrimento exsistebat cauponibus et holitoribus et laniis Dylath-Leen, cum ne frustum quidem cibariorum umquam in naves imponeretur. Negotiatores nonnisi aurum et corpulentos nigros servos e Parg trans flumen emebant. Nihil demum aliud petebant isti injucundorum vultuum negotiatores sui que invisos remiges, neque a laniis neque ab holitoribus, nisi aurum tantum pinguesque nigros Pargenses quos libratim emebant. Foetor vero ex triremibus manans quem auster a crepidinibus afflabat vix describendus erat. Acrium aromatum fumigationes continuatae solum efficiebant ut audaciores potatores in veteribus popinis maritimis eum ferrent. Atras triremes istas Dylath-Leen non toleraret si tales carbunculi alibi emi possent, sed nulla nota fodina in tota Oniria terrestri eorum similes praebebant.

De his rebus Dylath-Leen versicolor plebs praecipue garriebat, cum Carter navem e Baharna patienter opperiretur, quae se ad insulam veheret ubi pictum Ngranek sublime et sterile eminebat. Interea per loca a viatoribus longinquis frequentata jugiter quaerebat qualescumque referrent fabulas de Cadath in algida solitudine vel etiam de urbe mirabili marmore munita fontibusque argenteis ornata de solario sole occidente conspecta. De his rebus autem nihil didicit, quamquam semel putavit mercatorem quemdam cum oculis obliquis mire intellegere visum esse cum de solitudine algida verbum factum esset. Fama ferebat eum commercium habere cum horrendis saxosis vicis in glaciali paramo deserto Leng, quos nulli sani homines visitarent quorumque ignes malefici noctu eminus aspiciebantur. Et rumor erat eum pontificem istum non describendum tractavisse, qui flavam personam sericam super vultum suum gerebat et solus habitabat in monasterio saxoso ante hominum memoriam instructo. Non dubitandum erat talem hominem vel pusillum commercium habuisse cum istius generis gente quae putaretur in algida solitudine vivere, sed Carter mox invenit nulli usui esse eum percontari.

Tunc atra triremis in portum illapsa est per vallum basalticum pharumque procerum, silens atque aliena, comitante extraneo foetore quem auster in vicos afflavit. Turbatae sunt popinae juxta litus commotione magna atque interposito modico temporis, latis oribus negotiatores cum mitris gibberis pedibusque curtis furtive in terram claudicaverunt gemmariorum tabernas petentes. Diligenter eos observavit Carter ac quo diutius intuebatur eo magis eos oderat. Postea istos vidit nigros corpulentosque homines e Parg gemiscentes et sudentes ad triremem istam singularem ducere et secum reputavit quibus in regionibus, si ullae demum essent regiones, hae pingues miserae creaturae fato servire deberent.

Tertiam jam vesperam commorabatur triremis cum unus iniucundorum negotiatorum eum allocutus, moleste et improbe subridens, attigit quod de Carteri quaestione in popinis audierat. Patebat ei notiones esse secretiores quam ut palam eas referret; quamquam istius vox atrocissima erat vixque ferenda, censuit Carter non aspernendam esse tam longinqui viatoris scientiam. Eum ergo ad

conclave sursum invitavit et Zoogorum vini lunaris reliquum proposuit ut istius linguam solveret. Negotiator extraneus largiter quidem potabat, sed haustus isti subrisum malevolum non mutabant. Dein miram proprii vini lagoenam exhibuit, eamque vidit Carter ex uno excavato carbunculo factam esse delineamentisque monstruosis incisam atque incomprehensibilibus. Hospiti vinum protulit cumque minimum tantum sorbillavisset Carter, spatiorum vertigine captus est incognitarumque silvarum febris. Advenae subrisus autem jugiter latior factus novissime maleficus cacchinus evasit qui invisum atrumque vultum distorquebat cum Carter stupore oblivioneque oppressus nefandum quid aspexit ubi mitrae luteae risu epilectico perturbatae tumorem celatum revelavit.

Deinde Carter animum recepit inter horrendos odores sub tentorio in navis tabulato, cum mirabilia Maris Australis litora velocitate monstruosa praeterirent. Membra quidem ipsius vincta non erant, sed prope adstabant tres atri negotiatores sardonie subridentes. Eorumque mitrae gibberosae aspectae fere aeque ac foetor e taetris claustris percolatus ipsi nauseam pariebant. Praeter vidit labentes regiones urbesque fabulosas de quibus socius somniator Terrae – qui pharum Regisportuense custodiebat – saepe olim narraverat; agnovit xysta templis instructa Zac, somnorum interdictorum sedis; infamis Thalarii campanilia, urbis daemoniaci milium mirabilium ubi regnat idolon Lathi; hortos carnales Zurae, voluptatum haud attingendarum plagae; bina promontaria crystallina in aereo arcu splendido conjuncta quae portum Sona-Nyl protegunt, benedictam phantasiae plagam.

Praeter omnes illas regiones magnificas foetida navis abominandaque volavit, remigum deorsum invisorum insolitis verberibus properata. Ante vero diei occasum Cartero patuit gubernatorem nihil aliud petere quam Columnas Basalticas Hesperias ultra quas plebecula dicit Cathuriam splendidam jacere, sed quas bene noverunt somniatores prudentes portas esse cataractae monstruosae qua terrestres Oniriae maria tota in abyssorum nihilum defluunt ad mundos alios stellasque alias foedaque vacua extra universum mundum ubi daemon sultanus Azathoth famelice in chao rodit inter tympana tibiasque et Dii Alieni diabolice tripudiant caeci, muti, taetri, amentes cum anima et nuntio suo Nyarlathotep.

Interea tres negotiatores sardonii quid agere vellent non dicebant, sed Carter bene noverat istos cum eis coniurare qui cupiebant ipsum de quaesitione sua detinere. Acceptum est enim in Oniria Deos Alienos agentes multos habere qui apud homines versarentur; eosdemque agentes omnes, seu plane humani sint seu sane minus quam humani, studiose rerum caecarum amentiumque istarum voluntatem gerere ut mercedem accipiant ab odiosa istorum anima nuntioque chaos reptante Nyarlathotep. Ex eo collegit Carter mitris gibberosis negotiatores, de sua audace Megistorum quaesitione ad illorum Cadath castellum audientes, consilium cepisse se rapere ut Nyarlathotep traderetur ad praemium quidquid esset nefandum pro tanta praeda accipiendum. Quae istorum negotiatorum patria esset, sive in mundo nobis noto, sive in tenebris taetris exterioribus, Cartero non liquebat, neque imaginare poterat in quo loco infernali condito reptans illud chaos convenirent ut ipsum traderent mercedemque poscerent, attamen constabat nullas creaturas fere humanas, tales erant isti, daemonis Azathoth ultimum solium nocturnum in medio informi vacuo adire audere.

Sole occidente, negotiatores labia sua perampla ligurrierunt oculisque famelicis circumspexerunt; unus eorum descendit ac a quapiam celata putidaque cella rediit ollam et catillorum cistam ferens. Tunc sub tentorio densi conquexerunt et carnem fumantem comederunt quam inter se tradebant. Cum vero Cartero offam dederunt, aliquid invenit abominandi in ejus forma et magnitudine; idcirco etiam magis palluit offamque clanculo in mare abjecit. Denuo recordatus est remiges invisos infra sedentes eorumque cibos suspiciosos e quibus nimis valde mechanicam vim trahebant.

Caelo jam obscurato triremis Columnas Basalticas Hesperias transivit ac ultimae cataractae fragor a fronte portentose amplificatus est. Cataractae aspergo surgens stellas obscuravit, tabulatum umidum factum est, navis marginis fluctu saeviente fluctuavit. Dein miro stridore praecipitata est atque Carterum incuborum terror cepit cum navis longa sicut silens cometes in planetarum spatium lapsa est. Numquam prius noverat qualia informia taetraque negotia per aethera latitent, lascivirent, volutarent, sannas cacchinosque emittentia cum forte viatores praeterirent eosque limosis membris palpantia, qui moventes istorum

curiosi-tatem excitavissent. Ista enim Deorum Alienorum infandi pupuli sunt, pariter caeci et amentes, at fame sitique singulari moti.

Foetida vero triremis non tam longinqua petebat quam verebatur Carter, nam mox advertit gubernatorem rectum cursum ad lunam tenere. Quae crescens eo clarius lucebat quo proprius accedebant, atque miros crateres cacuminaque moleste monstrabat. Limitem petiit navis ac cito patuit cursus finem esse partem illam secretam atque mysteriosam semper a terra aversam quam nemo sane humanus, praeter fortasse illum somniatorem Snireth-Ko, aspexerat. Lunae proximus conspectus cum appropinquaret triremis Carterum valde conturbavit neque ruinarum magnitudinem et formam amavit hic illicque putrescentium. Mortua templa montana ita exstructa erant ut nullum decentem deum sanumve colerent, inque columnarum corruptarum symmetriis taetrum reconditumque sensum inesse videbatur qui non libenter explicaretur. Cultorum autem priorum quae fuisset figura et statura Carter pertinaciter supputare recusabat.

Ubi navis marginem transivit ac super plagas illas vecta est quas nullus viderat homo, certis signis patuit in perverso eo conspectu aliquid vivere; Carter aspexit multa humilia, lata rotunda, tuguria mediis in monstruosorum subalborum fungorum agris. Advertit tuguria fenestris carere putavitque eorum formam borearum gentium casulorum similiorem esse. Dein undas pigri maris oleaceas aspexit atque novit iter denuo maritimum fore, vel saltem per liquidum quoddam. Triremis summum laticem incussit cujus undae adeo mirum in modum resilientes eam acceperunt ut valde disturbatus sit Carter animo. Tunc magna velocitate labebantur semelque ejusdem generis navem longam praeterierunt appellaveruntque, ceterumque nihil visum est nisi mare extraneum atrumque caelum ac stellatum quamquam torridus lucebat sol.

Extemplo porro assurexerunt leprosi litoris scopulosi colles atque Carter urbis cujusdam turres cinereas aspexit. Valde captivi cor conturbaverunt turrium curvatura, obliquitas, densitas, necnon fenestrarum absentia; amare stultitiam deploravit qua impellente vinum ab isto negotiatore cum mitra gibberosa prolatum sorbilaverat. Cum litus appropinquaret cumque urbis foetor abominandus acrior

fieret, silvas multas in collibus scopulosis aspexit, quorum arbores nonnullas similiores agnovit illius arboris lunaris solitariae in terrae nemore incantato plantatae, a cuius succo pusilli fulvique Zoogi mirum suum vinum fermentant.

Carter primum figuras porro in taetris crepidinibus moventes discernebat ; quo autem clarius eas perspiciebat, eo magis eas pavescebat fastidiebatque. Nam omnino non erant homines, neque semihomines quidem, sed magna subalba lubrica negotia quae sponte se dilatabant contrahebantque, quorum vero forma praecipua, quamquam saepius mutabilis, cujuspian generis bufonum erat absque oculis, in istorum autem obtusis incertisque rostris brevium rosaeorum tentaculorum copia mirum in modum vibrabat. Negotia ista per crepidines naviter reptabant, fascas, capsas, cistas vi praeter naturam portabant, subinde triremes ad anchoras deligatas conscendebant descendebantve, remes longas membris prioribus ferentia. Interdum exhibat eorum quiddam prae se servorum gregem agens tardigradum, qui fere quidem humani existebant magnis buccis istorum negotiatorum similiores qui Dylath-Leen commercium gerebant ; attamen greges isti, sublatis mitris calceamentisque vestibisque, adeo humani jam non videbantur. Nonnulli servorum, pinguiores scilicet, quos custos qualiscum-que experimenti causa contrectabat, a navibus expositi in capsis clavis concludebantur quas operarii in demissa emporia vel in magna gravataque plaustra imponebantur.

Ubi autem vidit Carter quali negotio fabuloso conjunctum sit plastrum quoddam ad vehendum, obstupitus anhelavit, quamquam in isto odioso loco alia monstruosa jam aspexerat. Interdum servorum sicut atros negotiatores vestitorum et mitratorum grex parvus in trirerem agebantur, sequente magna lubricorum negotiorum manu pro nauarchis, navigatoribus, remigibus. Sic vidit Carter creaturas semihumanas eas ad turpiora officia quae sine vi gererentur reservari, ut gubernarent scilicet et coquerent, veherent et portarent, necnon cum terrae aliarumque planetarum hominibus negotiarentur ubi commercium ageretur. Creaturae istae commodiores procul dubio in Terra erant, quippe quae hominum similiores erant dum accurate vestibibus, calceamentis, mitris indutae essent itaque in hominum tabernis sine molestis explicationibus

mercaturas facere poterant. Pleraeque autem, nisi exiles infirmaeve, vestibus exutae in capsis concludebantur easque avehebant plaustri gravatis negotia fabulosa. Interdum aliae creaturae exponebantur atque concludebantur, quarum aliquae istorum semihominum similiores erant, aliquae haud ita similes, aliaeque minime similes. Mirabatur utrum ulli miseri nigri corpulentique homines Pargenses reliqui restarent qui exponerentur concluderenturque ut ad interiores regiones carris istis abominandis aveherentur.

Ubi triremis oleaceam aspectu crepidinem saxo spongioso factam appulit, bufonum similia ista taetra negotia tamquam incubi catervatim e navis cellis erepserunt, istorumque duo Carterum prehenderunt eumque in terram traxerunt. Urbis odor et aspectus verbis exprimi non possunt, atque Carter sparsas tantum memorias retinuit tessellatarum viarum atrarumque januarum murorumque praecipitum ac cinereorum sine fine et fenestris eminentium. Tandem per humilem januam tractus est compulsusque juxta scalas infinitas in summa obscuritate. Constabat istis negotiis batrachoidibus minime referre utrum dies esset noxve. Loci odor ferendus non erat atque ut Carter in conclavi conclusus est solus, vix valuit circum repere ut formam magnitudinemque comperiret. Rotundum erat pedesque circiter viginti per transversum latum.

Dehinc gradum suspendit tempus. Interdum cibi impellebantur, quos autem Carter non tangebatur. Nescius futurae sortis tamen suspicabatur se detineri propter adventum istius terrificae animae Infinitique Deorum Alienorum nuntii, reptantis scilicet chai Nyarlathotep. Postremo, interposito ancipite horarum dierumve intervallo, violenter reclusum est ostium saxosum atque Carter per scalas depulsus est foras in istius horrendae urbis vias rubro lumine pervasas. Nox erat in Luna, perque omnes vicos stabant servi faces ferentes.

In platea detestabili pompa qualiscumque instructa est; batrachoidia negotia decem et semihomines taediferi viginti quatuor, ab utroque latere undecim, unus in anteriore parte, unusque in posteriore. Carter in media pompa positus est; batrachoidia negotia quinque a fronte et quinque a tergo erant, ab utroque eorum latere semihomo taedifer. Bufonum similia negotia quaedam tibias eburneas immaniter incisas produxerunt atque sonos foedos emisissent. Diabolice canentibus

fistulis, agmen a viis tesselatis ad tenebricosos fungorum obscoenorum campus progressum mox humiliorem gradatimque editum collem pone urbem ascendere coeperunt. Cartero dubitandum non erat alicubi in horrendo clivo planitieve montana opperiri reptans chaos optabatque mox finem fore suspensi. Impiarum tiliarum gemitus ei taeter erat atque toto corde cupiebat vel semiordinarium sonum audire ; sed negotia ista batrachoidia voce carebant atque servi non loquebantur.

Tunc per tenebras istas stellatas ortus est sonus ordinarius. A summis collibus explicatus est atque ab omnibus scopulosis cacuminibus circum repercussus crescebat chorusque pandaemoniacus fiebat. Felium nocturnus ululatus erat et Carter tandem advertit recte monere senes paganos cum dubie murmurent de regnis crypticis solis felibus notis quae noctu furtive petant feles seniores dum de altis domorum fastigiis saliunt. Revera ad Lunae obscuram partem eunt ut ludant saltentque et cum umbris veteribus loquantur ; heic medio in negotiorum foetidorum agmine Carter eorum vocem domesticam amicamque audiens patriae tecta proclivia recordatus est, et focos tepidos et lucidas fenestellas.

Cum vero felium sermonem satis calleret Carter, e secessu terribili ululatum idoneum emisit. Quod autem supervacuum erat, nam ante quam paterent ejus labiae, chorum audivit crescentem et accedentem velocesque umbras sub stellas aspexit cum gracilium figurarum legiones a colle ad collem salientes congregarentur. Editio gentis clamore, ac ante quam timor foedam pompam ceperit, lanae suffocantis phalanx unguiumque necantium procella istam vehementer aggressa est. Siluerunt tibiae atque in nocte vociferatum est. Semihomines morientes ululaverunt, feles spuerunt, maumaverunt, rugierunt, sed nullam vocem ediderunt batrachoidia negotia dum istorum ichor foetidus viridisque funeste in fungorum obscoenorum terram stillat.

Mirabile visu erat quatenus lucerent faces, neque umquam tam multas feles viderat prius Carter. Nigrae, cinerae, candidae, flavae, bicolores, variae, vulgares, persicae, monapienses, tibetanae, ancyranae, aegyptiacae, omnes in pugna saeviebant atque super eas ferebatur illius eximiae ac inviolatae sanctitatis vestigium quae earum deam Bubastim in templis suis magnificabat. Septenae ad semihominis fauces vel ad cujuspiam batrachoidis negotii rostrum tentaculis rosaeis munitum

saliebant idque immaniter ad fungorum campum trahebant, ubi sociorum milia id catervatim aggrediebantur, divino furore aestuantibus unguibus dentibusque. Carter facem ab occiso servo arripuerat, sed cito fidelium defensorum undis summensus fuit. Tunc in tota obscuritate jacuit, dum belli clangorem victorumque clamores audit et amicorum suorum dulces pedes super se percipit ad pugnam currentium seu decedentium.

Denique propter timorem et lassitudinem oculos somno clusit; cum vero eos reclusit mirandam scaenam aspexit. Terrae magnus discus splendens, tredecim tanto major quam luna a terra aspecta, luce extranea lunarem conspectum inundabat; perque tot vastae planitiei serratorumque scopulorum leugas instructo agmine veluti mare sedebant innumerandae feles. Circulatim accedebant, atque duces duo tresve ab signis discesserunt ut Carteri vultum linguerent et susurrantes ejus animum confirmarent. Mortuorum servorum batrachoidumque negotiorum vestigia paene non videbantur, sed putavit os aspicere in intervallo inter milites seque hiante rejectum.

Nunc Carter cum ducibus dulci felium loquela colloquebatur, certiorque factus est inveteratam suam amicitiam cum cattis celebratam esse famosamque ubicumque congregarentur feles. Neque latuerat cum Ultharam transivisset meminerantque nitidi veterani ipsum sese blandiari postquam famelicos Zoogos curaverant qui prave nigellum catulum intuebantur. Neque immemores erant ipsum benigne recepisse pusillum catulum qui in deversorio ad eum adierat, cum mane antequam proficisceretur parvulo cremoris lactei catillum dedisset. Ejusdem parvuli avus dux erat exercitus huc congressi, quippe qui a colle eminens pompam maleficam aspexerat captivumque recognoverat amicum juratum esse gentis suae tam in terra quam in Oniria.

Ululatus actutum ab extremo cacumine ortus veterani colloquium repente interrupit. Excubiarum statio in summo monte sic monebat aggredi unum hostem quem timebant feles terrestres, istas scilicet magnas singularesque Saturni feles, quae quadam de causa lunae nostrae partis tenebrosae jucunditatis oblitae non erant. Cum maleficis negotiis batrachoidibus foedus fecerant, eorumque inimicitia in terrestres

nostras feles late patet; aliquantum gravius esset cum istis in tali discrimine congregari.

Breviter cum strategis consultato, feles surrexerunt agminaque presserunt ut Carterum mole sua protegerent utque magnum saltum per spatium rursus ad terram nostram terrestremque Oniriam facerent. Carterum monuit veteranus strategus ut sese totum salientium villosorum agmini quasi inertem committeret, eumque docuit cum aliis ceteris simul exsilire atque simul eleganter terram appellere. Etiam professus est se Carterum depositurum esse ubicumque ipsi juvaret, isque urbem Dylath-Leen decrevit, unde atra triremis profecta erat, nam volebat illinc ad Oriabam navigare adque Ngranek scopulum incisum, necnon urbis cives monere ne amplius cum atris triremibus negotiarentur, dum negotium istud prudenter ac benigne rumpi posset. Tunc, dato signo, feles omnes eleganter exsiluerunt, compresso in medio agmine gentis amico; interea in atro cujusdam sacrilegi lunarium montium cacuminis specu frustra adhuc opperiebatur reptans chaos Nyarlathotep.

Perceler fuit felium saltus trans spatium; a sociis circumtectus Carter hac vice informia taetra negotia in abyso insidentia, exsultantia, volutantia non aspexit. Priusquam plane eventum mente comprehendisset, ad assuetum conclave redux fuit in Dylath-Leen deversorio, cum furtivae et amicae feles e fenestris catervatim effluerent. Veteranus Ultharanus dux novissime abiit, Carteroque pedem dextrum porrigens monuit se ad galli cantum domum rediturum esse. Prima luce scalas descendit atque certior factus est jam septimanam praeterisse a raptu suo. Semestrium adhuc expectanda erat navis Oriabam petens, quo temporis intervallo quoad ejus poterat atras triremes istarumque mores infandos increpavit. Cives plerique ei crediderunt, at adeo cupidi erant gemmarii magnorum carbunculorum ut nemo eorum ex toto pollicitus sit mercaturam cum istis negotiatoribus amplis oribus interrumpere. Si aliquando male evenerit Dylath-Leen ex isto commercio, aberit certe a culpa ille.

Intra septimanam circiter exoptata navis vallum nigrum pharumque procerum transiens appulit atque magno cum gaudio vidit Carter integrorum hominum navem esse eam, cum lateribus depictis

flavisque velis ejusdemque navarchum sericis indutum esse. Onus portabat odoratae resinae ex Oriabae silvis interioribus, fictilium delicatorum a Baharnae figulis coctorum, mirorum sigillorum in Ngranek antiqua lava incisorum, quae omnia lanâ Ultharensi textilibusque coruscis Hatheg eboreque a nigritis inciso trans flumen Pargense emebantur. Carter cum navarcho statuit Baharnam petere certiorque factus est dierum decem navigationem fore. Dum septimanam opperitur multum cum navarcho illo collocutus est de Ngranek certiorque factus est perpauca ibi incisum vultum aspexisse, viatoribusque plerisque satis esse e senibus, lavae collectoribus, sculptoribus Baharnae de imagine fabulas audire, ut dein in longinqua patria referrent se revera eam intuitos esse. Neque navarcho constabat quidem ullum viventem vultum incisum aspexisse, nam Ngranek latus opacum arduissimum esset sterileque sinistrumque; fama ferret ad cacumen speluncas esse quas habitarent empusae. Sed navarchum pigebat dicere cujus demum similis esset empusa, nam ferretur tales pecudes maxime pertinaciter somnia invadere eorum qui nimis de istis cogitarent. Deinde Carter navarchum percontatus est de ignota solitudine deque mirabili illa urbe in sole occidente, sed de his nil omnino dicere potuit vir ille honestus.

Cujusdam diei diluculo, commutato maris aestu, a Dylath-Leen evectus est Carter primamque orientem lucem vidit super istius lugubris oppidi basaltici turres angulosas. Biduum ad orientem vela dabant in viridium litorum conspectu et saepe jucunda oppida piscatoria aspiciebat quae clivosa ascendebant cum tectis rubris et vasibus caminariis a somniculosis crepidinibus actisque ubi retia siccabantur. Tertio autem die abrupte ad meridionem deflexerunt cursum, ubi fortius fluctuabatur, moxque ex omnis terrae conspectu ablati sunt. Quinto die anxietate laborabant nautae ac navarchus eorum metus excusavit quod navis iter factura esset super muros algosos ruptasque columnas urbis cujusdam ante hominum memoria mersae, cumque limpidae essent aquae tam multae umbrae moventes in profundo maris loco aspiciebantur ut vulgo odio esset. Confessus est tamen multas naves in hac maris parte periisse quae huc appropinquantes appellatae erant sed postea in perpetuum evanuerant.

Illa nocte splendebat luna atque valde procul sub aquis cernere licebat. Adeo remissus erat ventus ut parum movebatur navis ac aequor pertranquillum erat. Navis saepimento nisus Carter multis ulnis depressum aspexit magni templi tholum cujus aditus sphingibus monstruosis ornatus a fronte ad quondam forum ducebat. Delphini laete per ruinas ludebant atque porculi marini ineleganter huc illucque comissabantur, interdum ad summam aquam natantes e mari alte saliebant. Cum navis paulum deferretur, imum maris solum colles factum est atque clare discernebantur antiquarum viarum clivosarum lineae et sescentarum casularum delapsi parietes.

Deinde suburbia apparuerunt denique ingens aedificium solum in colle, cujus structura aliis simplicior erat meliusque refecta. Atrum erat et humile et quadratum cum turri in singulis angulis, area pavitata in medio, miraeque rotundae fenestrae parvae super totam superficiem erant. Basalticum videbatur, quamquam algae majorem partem tegebant; tam insignis situs in recondito colle indicabat id forsitan templum sive monasterium fuisse. Pisces quipiam intus efficiebant ut parvae fenestrae rotundae speciem lucentem praeberent atque Carter nautarum metum non multum increpavit. Tunc ad aquosam lunam singularem procerum monolithum media in area infixum aspexit aliquidque ei alligatum. A navarcho telescopum mutuatus discrevit id nautam esse Oriabanis sericis indutum, pronum capite erutisque oculis; gavisus est cum navis, aura afflante, mox maris saniores partes appetivisset.

Postridie navem appellaverunt cum velis ianthinis Zar petentem, in somniorum oblivione deletorum regione, cui onus erat mirorum colorum liliacei bulbi. Ad diei undecimi vesperam in insulae Oriabae conspectum venerunt, procul eminente scopulosum nivibusque cincto Ngranek. Maxima insula est Oriaba, fortissimumque oppidum portus Baharna, cujus crepidines porphyreticae sunt, unde oppidum per ingentia lapidea subdialia ascendit; ejusque vias gradibus factas saepe tegunt aedes arcuatae et ponticuli inter aedes. Est magnus canalus sub totum oppidum fluens valvis syenitis munitus qui ad lacum interiorem Iath ducit; ibi in extrema ripa sunt vastae ruinae argillaceae urbis cujusdam primigeniae cujus nomen de memoria excidit. Cum navis vespere portum intraret, binorum pharorum Thon et Thal ignes

hospitaliter micuerunt, atque e milies milibus fenestris in Baharnae subdialibus podiisque gradatim et quiete lumina lenia luxerunt, dum stellae in crepusculo sursum micant, adeo ut portus ille clivosus splendor constellatus factus est inter coeli sidera eorumque imagines in aqua tranquilla.

Appulsa nave, navarchus Carterum ad domunculam suam invitavit in Yath ripa sitam, quo oppidi extremi clivus descendit. Ejus uxor famulique miris cibus succulentis viatoris palatum delectaverunt. Postridie autem Carter de Ngranek rumores et fabulas per popinas et loca publica ubi lavae collectores et artifices congregierentur quaesivit, at neminem invenit qui altiora fastigia ascenderit vultumve incisum aspexerit. Arduus mons esset Ngranek, vallisque nefanda una tantum ultra esset ; ceterum minime pro certo habendum esset empusas omnino fabulosas creaturas esse.

Postquam navarchus Dylath-Leen nave repetivit, Carter in vetere deversorio demoratus est, juxta gradatum angiportum in prisca oppidi parte, ubi lateraria aedificia lacus Yath ripae extremae ruinarum similia sunt. Heic ad Ngranek conscendendum proposita elaboravit atque summam fecit omnium quae de itinere a lavae collectoribus didicerat. Caupo valde grandaevus erat et tam multas fabulas audiverat ut magno auxilio fuerit. Carterum porro ad pervetustarum aedium superiorem cubiculum duxit ut ipsi rudem imaginem ostenderet quam viator quidam in pariete argillaceo scalpserat in veteribus diebus, cum homines audaciores erant minusque abhorrebant a Ngranek partes altiores visendo. Grandaevi cauponis proavus a proavo suo audiverat viatorem illum qui imaginem scalpserat Ngranek ascendisse vultumque incisum aspexisse, heicque delineavisse ut spectarent alii ; sed Carter id admodum in dubium vocavit, cum rudis amplaque figura in pariete properanter ac incuriose delineata esset eamque totam obscuraret formarum adventiciarum caterva omnino abominanda, cum cornibus et alis et unguibus et caudis convolutis.

Ad postremum, ubi omnia quae in Baharnae popinis locisque publicis audienda essent collegerat, Carter hippotigridem conduxit atque mane profectus est juxta Iath ripam ad partes interiores ubi eminent Ngranek scopulosum. A dextera erant colles molliter assurgentes

viridariaeque amoena villulaeque lapideae quales in memoriam revocarent arva fertilia secundum Scaeam. Sub vesperum prope fuit ad ruinas antiquas sine nomine in Iath extrema ripa sitas ; quamquam lavae collectores veterani monuerant ne ibi pernoctaret, hippotigridem mirae columnae ante rutum parietem alligavit ac stragulum posuit in angulo tecto sub incisus signis quae nemo umquam legere potuerat. Alio stragulo sese involvit, cum noctes in Oriaba frigidiores essent ; cum vero forte e somno breviter excitatus cujuspian bestiolae alas sensisset vultum suum verrentes, totum caput texit atque placide dormivit donec avium magarum in longinquis resinatis boscis cantu expergisceretur.

Modo sol ortus erat super magnum clivum ubi per leugas desolatas pristina latericia fundamenta, ruti parietes, fissae columnae stylobataeque ad Iath ripam usque patescebant, cum Carter alligatam hippotigridem circa quaesivit. Magnus pavor eum percussit cum mansuetam pecudem ad singularem columnam cui eam alligaverat prostratam repperit, magisque vexatus est cum invenit equum tigrinum jam mortuum esse, toto exsucto sanguine per mirum vulnus in collo. Ejus ipsius mantica perturbata erat atque nonnullae nugae nitidae subductae erant ; per humum pulveream circum erant magna palmata vestigia quae omnino explicare non potuit. Lavae collectorum fabulas et admonitiones recordatus est, necnon id quod nocte vultum suum verrerat. Dein manticam sustulit atque ad Ngranek progressus est, at non horrescere nequivit cum via publica trans ruinas magnum hiantem arcum in infimo veteris fani muro praeteriret, cujus gradus in tenebras descendebant ultra oculorum scrutationem.

Nunc per incultiorem et partim silvestrem regionem iter faciebat atque tantum videbat carbonariorum casulas et castra eorum qui in boscis resinam colligebant. Aer totus balsamum redolebat omnesque aves magae festive canebant, septicolores sole nitentes. Ad solis occasum alia lavae collectores castra invenit qui cum plenis saccis a Ngranek clivis inferioribus redibant ; et ipse heic pernoctavit, dum hominum fabulas cantionesque audit, atque quod de perduto socio murmurabant aucupavit. Is ad altiora ascenderat ut genuinae lavae molem sursum attingeret, at primis tenebris ad socios non redierat. Cum eum postridie quaeritarent, ejus tiaram tantum reppererant, neque ullum vestigium

erat in scopulis sub loco ejus delapsus. Amplius non quaesiverunt, nam senex inter eos dixit id frustra fore. Nemo enim reperiret quod empusae rapuissent, quamquam bestiae istae adeo incertae essent ut fere fabulosae exsisterent. Carter eos rogavit utrum empusae sanguinem sugerent, nitidisque rebus delectarentur, palmataque vestigia relinquerent, sed omnes abnuerunt atque tales perconctationes expavescere visi sunt. Cum advertisset eos tacitos factos esse, quaerere desiit atque in stragulo dormitum ivit.

Postridie cum laevae collectoribus experrectus est ; inter se valere dixerunt cum ii ad occidentem, ipse ad orientem veheretur ab hippotigride quam ab eis emerat. Eorum majores natu illi benedictiones et admonitiones dederunt suaseruntque ne altius Ngranek ascenderet, sed cum eis profuse gratias egerit, nullo modo persuasus est. Nam adhuc putabat inveniendos esse deos super ignotam Cadath ut ab illis viam adipisceretur ad urbem illam fascinantem et mirabilem in sole occidente. Circa meridiem, diu versus montem equitatio, ad vicum qualemcumque latericium venit ubi collicolae olim tam prope ad Ngranek habitabant imaginesque in lava levi incidebant. Ibi vixerant ad dies illius grandaevi cauponae proavi usque, tunc vero perceperunt non gratam esse praesentiam suam. Nam eorum aedes Ngranek clivum libare inceperunt, atque quo altius eas aedificabant, eo plures homines evanuerant deerantque cum sol oriretur. Denique decreverunt expedire una simul locum mutare, cum negotia interdum in obscuritate aspicerentur quae nemini auspiciata viderentur. Postremo omnes ad mare descenderunt ut Baharnae habitarent, in vico vetustissimo, filiosque docerent imaginum antiquam artem quam ad hodiernum diem exercent. Ab illis collicolarum exsulum filiis Carter optimas fabulas audierat cum per Baharnae popinas vetustas sciscitaretur.

Interea eo altius eminebat nudum Ngranek latus quo magis appropinquaret Carter. Rarae erant in inferioribus clivis arbores, supra autem frutices debiles, ultra demum saxum merum taetrumque ad coelum phantasmate surgebat ut se gelui, glaciei, nivibus perpetuis misceret. Vidit Carter atri saxi rimas et asperitates, neque libenter hunc ascensum considerabat. Erant passim laevae torrentes coagulati, scoriarum catervae clivos dorsaque inquinabant. Nonaginta ante aervis,

prius quam ipsi dei in illo cacumine tripudiarent, mons jam ignea verba eiecerat, internorumque tonitruum vocibus rugierat. Nunc autem silens et taeter eminebat, in suo occulto latere secretam giganteamque imaginem praebens de qua fama ferebat. Erant et speluncae in illo monte quae forsitan vacuae essent et in antiquis tenebris desertae, aut, si veridica esset fama, monstra celarent quorum formae non erant suspicandae.

Acclinabat solum ad Ngranek radicem, quod rare quercus retorridae fraxinique obtegebant, ubi saxorum fragmenta, lava, antiquus cinis sparsa erant. Multorum castrorum combusti cineres adhuc erant, ubi lavae collectores demorari solebant, nonnullaeque arae rudes quas instruxerant aut ad Megistos deos propitiandos, aut ad somnia defendenda quae in Ngranek altis faucibus speluncisque labyrinthis viderant. Inumbrante vespera ad extremam cinerum catervam venit ubi pernoctaret ; alligata ad arborem novellam hippotigride, sese in stragulis involvit ad dormiendum. Per totam noctem eminus ululavit voonith ab occulti stagni ripa, sed non timuit Carter istud amphibium monstrum, cum eum certiozem fecissent numquam istos terrores Ngranek cliva appropinquare audere.

Clarescente matutina luce, Carter longam ascensionem incohavit ; hippotigridem eatenus secum duxit quatenus utile jumentum ire valuit, sed cum exilis bosci humus arduior fieret, eam fraxino retorridae alligavit. Hinc solus scandit ; primum trans silvam in cuius lucis amplioribus veterum vicorum ruinas arbores contegebant, dein per herbam tenaciorem ubi hic illicque crescebant tenues frutices. Illum pigebat ab arboribus erravisse, quia praerupta fieret acclivitas, nimisque vertiginosum iter. Cernere tandem potuit, quocumque circumspiciebat, extensam infra regionem : imaginum artificum casulas desertas, arborum resinosarum boscos castraque eorum qui ex eis resinam colligebant, nemora ubi magae aves versicolores nidos struunt et canunt ; etiam perlonge vix aspiciebantur Iath ripae ruinaeque antiquae ac formidolosae quarum nomen oblivione deletum erat. Expedire aestimavit non circumspicere et scandere pergebat donec perrarae fierent frutices nihilque aliud esset ad quod inhaereret quam herba tenacior.

Solum exilius nunc fiebat ; amplae saxi nudi areae emergebant, et interdum vulturis nidus in fissura apparebat. Denique nihil exstitit aliud quam saxum nudum ; nisi vero rugosissimum atque tempestatibus obduratum evasisset, vix amplius ascendere valuisset. Magno tamen auxilio fuerunt nodi, projecta, fastigia et incitamento erat aliquando signum aspicere a quopiam lavae collectore inscite in lapide friabili incisum ; sic scire poterat creaturas humanas sanasque ante se heic fuisse. Ab altitudine quadam clarius percipiebatur hominum praesentia per ansas manuales pedalesve in locis aptis excisas, perque lapidinas parvas ac excavationes ubi reperta erat exquisita lavae vana. In loco quodam angustum projectum arte excisum erat ad singulariter opulentum sedimen attingendum a lineae ascensionis mediae dextra parte. Semel iterumve Carter circumspicere ausus est, at conspectus infra extensus eum fere obstupescit. Tota insula ad litus usque oculis pandebat, eminusque Baharnae podia lapidea caminorumque fumus quasi mysticus. Ultra vero immense mare australe cum omnibus suis miris secretis.

Hactenus circum montem valde sinuosum fuerat iter, adeo ut ulterius latus imagine incisum adhuc occultum esset. Carter tunc projectum aspexit ad sinistram acclive, quod ducere videbatur ad optatum locum ; hac ergo perrexit exspectans id continuum evadere. Post decem minutas repperit id fundulam demum non esse, sed praecisu arcu produci qua, nisi repente interromperetur vel deflecteretur, post aliquot ascensionis horas duceretur ad ignotum illum clivum meridionalem supra desolatos scopulos maledictamque lavae vallem eminentem. Cum nova plaga infra conspiceretur, vidit eam vastiorem esse incultioremque quam regiones maritimas qua transierat. Et montis latus aliquantum differebat, cum miris rimis speluncisque terebratum esset non repperit in directiore itinere quod modo reliquerat. Nonnullae supra illum erant, aliae vero infra, omnes mediis in rectis deruptis patebant, quas hominum pedes attingere non valebant. Aer nunc perfrigidus erat, sed adeo aspera erat ascensio ut id non curaret. Tantum de aere rariore facta sollicitabatur ac putavit hac de causa alios viatores vertigine laboravisse excitasque esse absurdas fabulas de empusis ut decessus explicaretur eorum ascensorum qui tam periculosis callibus

delapsi essent. Viatorias istas fabulas multi non faciebat ; utique bonum curvatum acinacem secum habebat ad pericula advertenda. Ceteri autem cogitatus minores omnes uni voluntati cedebant illius vultus incisi videndi cujus auxilio ipsi deorum vestigia persequi liceret super ignotam Cadath.

Denique in spatii superioris horrore glaciali, ad latus occultum Ngranek circumivit atque deorsum in infinitis profundis scopulos minores sterilesque lavae gurgites aspexit qui signa erant Megistorum Deorum antiquae irae. Et ad orientem explicata erat amplissima regio, quae autem terra deserta erat sine arvis amoenis et praediolorum caminis atque sine fine videbatur esse. Ex hoc latere mare omnino non aspiciebatur, quia Oriaba magna insula erat. Adhuc multae erant atrae speluncae et rimae insolitae in praeruptis saxis, sed nullam attingere posset ascensor. Sursum nunc eminebat magna projecta moles quae impediabat quominus ultra aspiceretur atque Carter paulisper dubitavit quin eam transire posset. In ventoso periculo librabatur millibus passuum super terram, ex uno latere nonnisi vacuum et mors, ex altero nonnisi lubrica saxorum moenia imminebant ; sic paulisper pavorem gustavit cujus causa homines Ngranek occultum latus fugiebant. Reverti nequibat, quamquam sol jam occidebat. Nisi via in sublime existeret, nocte appetente heic adhuc subsidens demoraretur ; albescente coelo autem jam non foret.

Sed via erat, eamque temperi aspexit. Nemo nisi somniator peritissimus his rimulis vix cernendis uti poterat, sed Cartero satis exstiterunt. Scopulum projectum demum superavit, invenit superiorem clivum valde faciliorem esse quam infra, cum glaciei mons olim fusus liberaliter apertiora reliquisset. A sinistra praeruptum recte descendebat ab ignotis summis ad ignota infima, cum speluncae nigrum os supra esset quod non attingeret manu. Alibi autem satis recedebat mons, ut et locum haberet ad incumbendum requiescendumque.

A frigidulo aere percepit se ad nivium limitem appropinquare, sursumque spexit utrum videret fastigia micantia in rubido sole vespertino. Innumeratis distantibus sursum pedibus, aspexit nimirum nives, at infra nives magnum projectum saxum sicut id quod modo ascenderat, in perpetuum ibi temere suspensum. Cum vero saxum illud

aspexit, anhelavit magnamque vocem emisit, et timore perterritus ad asprum scopulum adhaesit; nam titaniaca moles non talis remanserat qualis in temporum aurora formata erat, sed in sole occidente admirabiliter rutilans incisam politamque faciem praebebat dei.

Severus ac terribilis micabat vultus ille solis occidentis igne illustratus. Menti cuicumque immensa erat illius magnitudo, sed statim Cartero patuit nullum hominem tantam imaginem fabricare potuisse umquam. Divinis manibus exsculptus deus superbe et auguste investigatorem despiciebat. Fama tulerat mirandam esse imaginem neque cum alia confundendam; vere demum monuerat fama, nam longi angustique oculi, aures longiores, nasus tenuis, mentum acutum, omnia non humanam sed divinam gentem indicabant.

Perterritus in loculo hoc sublimi periculosoque adhaerebat, quamquam id ipsum exspectaverat ille inventumque venerat; nam majora mirabilia in dei vultu sunt quam praedici possint; cum vero vultus magno templo amplior, in mundi superioris sole occidente, ex cuius lava olim divinitus excisus est, inter cryptice circum silentia despiciat, majus est miraculum quam ut fugere possit ullus.

Insuper et recognitionis miraculum aderat; nam, cum decrevisset per totam Oniriam eos quaerere quos vultuum similitudo indicaret deorum esse progeniem, nunc noverat hoc labore opus non esse. Enimvero magna facies in hoc monte excisa omnino extranei generis non erat, sed earum cognata quas saepius in Celephaidos popinis aspexerat, qui portus in Ooth-Nargai trans colles Tanarianos jacebat regemque habebat Curanem quem Carter olim in vita vigili noverat. Quotannis talium vultuum nautae navibus nigris a Septentrione advehebantur ut onychem negotiarentur pro Celephaidos nephrite incisa auroque torso aviculisque canoris; constabat eos non alios esse quam quos quaerebat semideos. Ubi habitarent, ibi prope jaceret algida solitudo, inque medio ignota Cadath ejusque castellum onychinum Megistorum. Itaque Celephaidem ipsi petendum erat, quae ab insula Oriaba valde distabat, easque partes qua ad Dylath-Leen redire posset, averso Scaea flumine ad pontem Nir, denuo in Zoogorum nemus incantatum, inde via ad septentrionem deflecteret trans plagas hortulanas prope Ucranon, ad

speculas aureatas Thran usque, ubi stlatam inveniret qua trans mare Cerenarianum veheretur.

Sed jam inibat crepusculum ; magnus incisus vultus etiam severior in umbra videbatur. Nox in illo projecto insidentem premebat quaesitorem ; in tenebris neque descendere neque ascendere licebat, sed in angusto stare tantum et adhaerere et horrere donec lucesceret, dum praecatur ut vigilet ne propter somnum laxet perque aerum vertiginem ad execrabilis vallis scopulos praeruptaque saxa praecipitet. Quamquam surrexerunt stellae, nonnisi aterrimum nihilum in oculis ejus erat ; nihilum morti conjunctum eum invitabat, at contra aliud agere nequibat quam ad saxa inhaerere et invisam projecti extremitatem avertere. Novissima res terrestris quam in crepusculo aspexit vultur fuit ad occidentale praeruptum prope advolantem atque ululanti voce fugientem cum juxta venerit speluncam cujus os manu vix attingebat.

Repente, cum nullus sonus in obscuritate praemonitui fuisset, Carter percepit acinacem curvatum suum furtive a balteo invisam manu arripi ; dein eum audivit deorsum in scopulos crepare. Sibique visus est inter se et Viam Lacteam terribilem adumbrationem aspicere alicujus infauste exilis et cornuti et caudati et sicut vespertilio alati. Et alia negotia sidera nunc exstingebant quae ab occidente micabant, quasi vagarum creaturarum grex dense ac silenter e spelunca ista inaccessa in praerupto evolarent. Tunc brachium quaecumque frigidum atque cummeum ipsius collum apprehendit, dum aliud quid illius pedes ; sic incuriose sublevatus est et in aere fluitavit. Vix horae interposita minuta, deletae sunt stellae, atque novit Carter ab empusis raptus esse.

Ipsam exanimem fere abstulerunt in istam speluncam in praerupto fossam, ultraque per labyrinthos monstruosos. Cum repugnaret, ut sponte primum fecit, eum consulto torserunt. Ipsae nullam vocem mittebant, et alae earum membranaceae silebant. Terribilem in modum frigidae erant et umidae et lubricae, earumque brachia odiose hominem palpabant. Mox horrendum in mundum se demerserunt trans abyssos incomprehensibiles, cum nauseabunde et vertiginose et mephitice sufflaret umidus sepulcralisque aer ; sensit Carter simul in ultimum ululantis demoniacaeque dementiae vorticem cum istis delabi. Iterum iterumque uluvavit, sed quotiescumque sic faceret, subtilius eum

torquebant nigra brachia. Dein cineream luminositatem quamdam aspexit et suspicatus est usque ad interiorum horroris subterranei mundum illum venisse de quo referunt fabulae obscurae, cui nullum aliud esset lumen quam palidus ignis feralis quem redolent aer morticinus caliginesque pristinae puteorum in ima terra.

Tandem procul infra vagas cinereas lineas aspexit fastigiaque ominosa quae noverat esse fabulosa Throk cacumina. Horrenda et sinistra eminebant in diro aeternorum profundorum sine sole orbe ; ultra humanam mensuram alta erant vallesque terribiles custodiebant ubi foede reptabant fodiebantque Dholia. Sed haec malebat intueri Carter quam raptores suos, qui revera negotia erant nigra, foeda, inhumana, quorum cutis lubrica erat et oleosa, balaenarum similis, quorum cornua odiosa intus inter se invicem flectebant, quorum alae verspertilionum similes silenter agitabantur ; manus habebant deformes, caudasque uncas sinistre et frustra vibrantes. Quod omnium pessimum erat, numquam loquebantur neque ridebant neque subridebant quia eis plane deerat vultus quo riderent, sed tantum vacuum ominosum ubi vultus esse debuerat. Nihil agebant nisi tenere, volare, torquere ; tales enim erant ampusarum mores.

Cum submissius volaret grex, Throk cacumina cinerea et excelsa ubicumque eminuerunt atque perspicue constitit in perpetuo illius austeri gravisque granitae crepusculo perpetuo vivens esse nihil. Cum infra descenderetur etiam, ignes ferales in aere evanuerunt et nihil nisi vacui obscuritas primitiva offendebatur, quamquam supra eminebant exilia cacumina quasi lemures. Mox procul recesserunt montes, nihilque circum erat nisi magni venti praecipites imarum speluncarum uviditatem agitantes. Tum denique ampusae invisorum negotiorum pavementum appulerunt quasi ossum stratorum Carterumque solum dereliquerunt in valle ista obscura. Ipsum huc deferre officium fuerat ampusarum quae Ngranek custodiunt, quo functo silentes avolaverunt. Frustra conatus est Carter eas volantes discernere, cum ipsa Throk cacumina e conspectu fugissent. Ubicumque nihil aliud erat quam tenebrae et horror et silentium et ossa.

Nunc Cartero claro clarius patuit se in Pnoth valle esse, ubi ingentia Dholia reptant et cubilia fodiunt ; nesciebat autem quid

opperiendum esset, cum nemo umquam Dholium aspexisset neque animo fingere posset cui simile esset tale negotium. De Dholiis tantum referebant rumores incerti: fricatum per ossum catervas reptantem, mucositatem propter sinuantem. Numquam aspiciuntur Dholia, cum in tenebris tantum spatiantur. Quia Carter minime cupiebat Dholio obviam fieri, intente aurem adhibebat cuiusdam sono ex ignotis ossum profundis circum jacentium. Et in hoc horrendo loco ipsi erant propositum finisque, nam rumores de Pnoth susurrati erant alicui quocum multum collocutus erat pridem. Paucis verbis haec erant: verisimiliter hic locus esset quo omnes mundi vigilis lamiae epularum suarum reliquias rejiciebant; quod si fortuna vel paulum juvaret, incidere posset praerupto scopulo et Throk cacuminibus altiori quo signabatur istarum provinciae limes. Ossa pluentia illi locum exoptatum indicaret, quo repperito lamiam vocare liceret ut scalas dmitteret; nam, mirabile dictu, cum istis horrendis creaturis pactum habebat singularissimus.

Fuit enim Bostoniae vir ipsi notus, mirarum imaginum pictor cujus museum reconditum in antiquo blasphemoque angiportu juxta cemetario situm erat, isque re vera cum lamiis necessitudines conjunxerat ipsumque docuerat istarum nauseabundorum volubiliumque vagituum simpliciora intellegere. Evanuerat denique vir, atque Carter suspicabatur eum nunc iterum obviam fieri posse, ut primum in somniorum plaga sermone illo anglico uteretur quo loquebatur in vita vigile nunc procul distante. Utique non dubitabat lamiam suadere posse ut sese ex Pnoth duceret; insuper expediebat lamiam obviam fieri visibilem, quam Dholium invisibile.

Sic ibat obscurus Carter, cuccuritque cum audire sibi visus est aliquid inter ossa suppedanea. Forte in clivum saxosum imegit quem opinavit radicem esse unius cacuminum Throk. Tum denique strepitus et crepitus terribiles ex sublimi audivit atque certus factus est se ad lamiarum praerupium prope advenisse. Anceps erat utrum ab hac valle passuum pluries milibus infra sita audiretur vox ejus, sed intellegebat mundo interiori miras esse leges. Cum haec reputaret, os quoddam decidens adeo grave ut calva esse posset eum percussit; aestimans igitur se prope ad praecipium destinatum esse, quoad potuit apte vagitum illum emisit qui lamiarum vox existit.

Quoniam sonus tarde progreditur, satis insterstetit ante quam volubiles voces audierit respondentes, sed advenerunt tandem, nec mora illum monuerunt scalas funales demissuras iri. At anxia fuit expectatio, cum nesciretur quid vox sua inter ossa excitare potuisset. Mox enimvero eminus audivit vagum quid crepans. Cum id consulte appropinquaret, magis magisque ipsi incommodum factum est, nam nolebat a loco quo scalae erant demittendae discedere. Denique vix ferre potuit anxietatem atque pavore captus fugiturus erat, cum aliquid grave in ossa recenter acervata prope decidens ipsius animum ab altero sono avertit; scalae erant nimirum, paulisperque praetentavit donec eas manibus firmiter tenuerit. Sed sonus alter iste non cessabat illumque persequebatur cum ascenderet. Iam plene pedibus quinque a solo ascenderat cum magnopere cresceret crepitus atque post decem plane pedes aliquid scalas vibravit infra. Ubi jam pedibus viginti trigintave distabat, percepit latus suum terere magnum quid lubricum modo concavum modo convexum se torquens; abhinc fortissime ascendit ut intolerabiles palpationes fugeret istius abominabilis obesique Dholii cujus forma nemini visenda est.

Per horas brachiis dolentibus pustulatisque manibus ascendit, dum rursus ignes ferales aspicit et Throk sinistra cacumina. Tandem lamiarum magnum saxum supra projectum crevit, cujus autem praecipitium non aspiciebat; adhuc horas et faciem extraneam vidit despicientem tamquam Gorgoneum antefixum de lorica Ecclesiae Cathedralis Nostrae Dominae Parisiensis. Animo demisso fere delapsus est, sed cito compos sui factus, nam amicus e medio sublatus Ricardus Pickman olim sibi lamiam praesentaverat, notaque erant istarum vultus canini, figurae gibberosae, infandae inclinationes. Quapropter firmatus erat animo cum negotium istud informe eum a vertiginoso praecipitio ad marginem extraxit, neque exterritus vocem emisit cum vidisset quisquillas faecesque partim voratas prope congestas et coronam lamiarum subsidentium quae manducabant et curiose circumspiciebant.

Nunc stabat in obscuriore planitie, quae loca tantum indicabant saxa ingentia et tumulorum aditus. Lamiae plerumque verecundae erant, attamen temptavit quaedam eum vellicare, cum aliae macrum ejus corpus cogitate observarent. Patienter volubili earum sermone usus de

olim e medio sublato amico sciscitavit ; patuit eum lamiam factum esse satis observatam in abyssis prope ad mundum vigilem. Lamia grandaeva subviridis se professa est ut eum duceret ad hodiernam Pickmani mansionem ; quamquam sponte pigebat, tamen creaturam secutus est in vastum tumulum et per horas post eam reptavit in atro ac foetido terreno. In campum obscuriorem emergerunt singularibus Terrae ruinis constratum : veteres stelae, urnae fractae, monumentorum monstruosa fragmenta ; tunc Carter non sine animi commotione advertit se propius forte esse ad mundum vigilem quam umquam fuerat ab eo cum septingentos gradus descenderat a Flammae specu ad Altioris Somni portam.

Ibi super anni mdclxviii lapidem sepulcralem a Bostoniensi coemeterii nomine Horreum dicti erepto lamia sedebat quae quondam pictor Ricardus Upton Pickman fuerat. Nuda erat et gummosa adeoque lamiarum faciem adepta erat ut jam obscuraretur ejus origo humana. At adhuc linguae anglicae paululum meminerat et cum Cartero colloqui potuit grunditibus et vocibus brevioribus, intermixtis sparse lamiarum vocibus volubilibus. Cum certior facta sit Carterum velle ad nemus incantatum ire, indeque ad urbem Celephaidem in Ooth-Nargai ultra colles Tanarianos, aliquantum dubitabilis visa est ; nam istae mundi vigilis lamiae nihil cum Oniriae superioris coemetariis haberent (iisdemque rubripedibus vappis concessis quae in urbibus mortuis gignuntur) atque multa interponerentur inter sinus suum et nemus incantatum, sicut Gugorum regnum terribile.

Hirsuti et gigantei Gugi olim cipporum circulos in illo nemore extruebant miraque sacrificia Diis Alienis et Nyarlathotep chao reptanti faciebant, donec nocte quadam abominationem ab istis perpetrata audiverint Terrae dii et eosque ad infernos specus dejecerint. Ingens quadra lapidea tantum tamquam porta, anulo ferreo instructa, lamiarum terrestrium abyssum nemori incantato conjungit, quam propter execrationem quamdam aperire timent Gugi. Ipsum vero viatorem mortalem eorum regnum speluncarium transire ut porta hac exeat plane imaginari non potest, nam somniatores mortales pridem istorum cibi evadebant, multaque inter istos traduntur de talium somniatorum sapore jucundo, quamquam exsilii causa formidinibus tantum pasci

debebant, quas creaturas foedas occidit lux quaeque in fornice Zin habitant et tamquam halmaturi longis pedibus posterioribus saliunt.

Lamia quae fuit quondam Pickman Carterum suasit ut aut ex abyssu egrederetur Sarcomandae, in urbe desolata in valle sub Leng sita cujus scalae atrae nitrosaeque, tuentibus alatis marmoreis leonibus, ab Oniria ad inferiores gurgites ducunt, aut per coemeterium quodpiam ad mundum vigilem rediret denuoque quaestionem inchoaret, septuaginta levioris soporis gradibus ad Flammae specum descendens, dein septingentis gradibus ad Somni Gravioris portam nemusque incantatum. Quae via autem parum ad quaesitorem conveniebat, cum nihil sciret de itinere a Leng ad Ooth-Nargai, neque e somno expergisci vellet ne omnium oblivisceretur quae adhuc somniis didicerat. Quaesitioni ipsius maximo detrimento esset nautarum illorum borealium vultuum caelestium oblitum esse qui onycha Celephaidi vendebant quique, cum deorum filii essent, viam monstrarent ad algidam solitudinem Cadathque ubi dii Megisti habitant.

Multo persuasum lamia annuit hospitem ducere intra Gugorum regni murum magnum. Fieri poterat ut Carter trans illum crepusculascens turrium lapidearum et rotundarum regnum furtive reperet cum gigantes satiati intus sterterent, ut mediam turrim accederet Koth nota signatam, ubi scalae sunt quibus ad portam illam lapideam in nemore incantato itur. Pickman etiam annuit lamias tres commodare ut eum lapide sepulcrali tamquam vecte adjuvarent ad quadram sublevandam; nam lamias interdum timent Gugi et saepius ex immanibus suis coemetariis fugiunt cum ibi epulantes eas aspiciant.

Etiam Carterum suasit ut lamiae aspectum simularet ipse; sic barbam rasisit quam promiserat, cum lamiae glabrae essent, nudus in putredine volutatus est ut speciem aptam praeberet, solito eis more gibbosus ambulare coepit, vestibus in sarcinula compactis quasi offa a quopiam tumulo delicta fuissent. Per aptos cuniculos eis ad Gugorum civitatem perveniendum erat, quae totum regni territorium occupabat, inque coemeterium exeundum haud procul a Turri Koth, ubi erant gradus. Sed cavenda erat magna quaedam spelunca prope ad coemeterium, cum aditus esset camerarum Zin atque formidines vindices semper ibi atrociter superioris abyssi incolis praestolantur qui

se venantur praedanturque. Formidines exeunt cum dormiant Gugi et lamias tam libenter aggrediuntur quam Gugos, nam eos discernere nequeunt; rudissimae sunt enim seque invicem vorant. Gugi excubitozem in angustiis ponunt in Zin cameris, sed dormitat saepius eumque aliquando adoritur formidinum grex. Cum formidines vera luce vivere nequeant, abyssus crepusculum dubium per horas ferre possunt.

Tunc demum Carter per cuniculos infinitos reptavit, comitantibus tribus lamiis adiutricibus quae secum lapidem sepulcralem ferebant cujusdam Tribuni Militum Nepemiah Derby, *obit ann. 1719*, ex coemeterio juxta viam Charteri Salemis. Cum tandem sub divum crepusculi exierunt, in ingentium lichene coopertorum monolithorum silva fuerunt qui fere ultra oculorum valentiam eminebant, modesti scilicet Gugorum tumuli. A dextra cavi qua erepserunt, trans monolithorum ordines stupendas aspexerunt turres rotundas atque giganteas quae immensae surgebant in cinereum terrae interioris aerem. Gugorum urbs magna erat, cujus januae pedibus triginta ab humo in sublimi distabant. Saepe huc veniebant lamiae, cum Gugus inhumatus gregi annona existeret atque, quamvis periculosius, fructuosius esset ad Gugos quaerendos excavare quam tumulos humanos curare. Nunc intellexit Carter quae fuissent ossa titaniaca quae interdum sub se ipso in valle Pnoth senserat.

E regione extra coemeterium eminebat ad perpendicularum praerupta cautes, in cujus radice hiabat spelunca ingens et portentosa. Eam monuerunt lamiae Carterum ut quoad posset evitaret, cum introitus esset ad nefastas cameras Zin ubi Gugi per tenebras formidines persequuntur. Atque vere haud vanus erat monitus, nam cum lamia inreperere cepit ad turres ut videret utrum recte aestimata esset Gugorum requiescendi hora, in istius magnae speluncae ore primum micaverunt bini oculi flavidi et rubidi, dein bini alii, ex quo patebat nunc Gugis defuisse excubitozem unum, formidinibusque peracutum odoratum esse. Lamia igitur ad cuniculum rediit sociisque innuit ut silerent. Expediebat formidines relinquere ad machinas suas, fierique posset ut cito discederent, cum defessae nimirum essent postquam Gugorum excubias in cameris atris pugnaverant. Nec mora aliquid ad equuli magnitudinem in dubium crepusculum exsiluit, bestia scilicet cujus aspectus scabrosus

ac pestilens Carteri nauseam peperit, cum istius vultus mirum in modum humanus exsisteret, quamquam nasus fronsque, necnon alia plura, deessent.

Continuo formidines aliae tres ad socium saliverunt et lamia quaedam Cartero molliter murmuravit male ominari quod eis proelii cicatrices deerant. Nam documentum erat istas cum Gugorum excubiis omnino non certavisse, sed eas dormientes furtim praeterivisse, qua de causa istarum vires et feritas illaesa forent, donec praedam nactae essent. Iniucundum perquam erat istas spurcas et inconcinneas bestias aspicere, quae cito quindecim factae escas eruebant ac in dubio crepusculo inter turres giganteas eminentesque cippos halmaturorum more siliebant ; at iniucundius fuit cum inter se formidinum expectoratis consonantibus colloqui coeperunt. Ut horrendae fuere istae, magis valde horrendum fuit id quod e spelunca post eas moleste ac inopinato exivit.

Manus feralis fuit, plane bipedalis et semissis, unguibus terribilus armata. Dein manus altera, deinde magnus lacertus villosus et niger, cui utraque manus coniuncta erat brachiis brevibus. Denique bini oculi rosei et caput experrecti Gugi excubitoris, aequae ac dolium magnum, e spelunca agitata est. Viderunt oculos ex utroque latere unciis binis protuberantes, quos protegebant tumores ossei et pilosi. Praecipue autem horrorem excitabat os, quod longibus gilvisque dentibus instructum a summo capite ad imum usque ad perpendicularum, non ad libram, hiabat.

At priusquam Gugus infortunatus a spelunca emergeret pedumque viginti staturam plene erigeret, ei assilverunt formidines feroces. Paulisper Carter veritus est ne is clamore socios omnes concitaret, donec lamia molliter murmuraverit Gugos voce carere vultusque motibus inter se loqui. Pugna terrificata tunc insecuta est. Undecumque formidines atrae Gugo reptanti trepide insultaverunt, oribus amputantes unguisque duris et acutis letaliter mulcantes. Iugiter fervide tussiebant atque ululabant cum forte quamdam mordebat Gugi latus os ad perpendicularum hians ; pugnae clamores profecto eos qui in oppido dormiebant expergefecissent nisi enervis excubitor gradatim certamen in speluncam penitus atulisset. Tumultus denique in tenebras plane evanuit, cum interdum repercussiones sinistrae eum continuantem indicarent.

Dein lamiarum alacerrima quaedam omnibus progrediendi signum dedit atque Carter tres salientes e monolithorum silva secutus tetrae urbis vicos obscuros ac foedos intravit, cujus ingentes rotundasque turres ultra visum efferebantur. Silenter atque passu infirmo super rude saxosumque pavementum processerunt neque sine fastidio ronchos surdos et abominabiles audivere e magnis atrisque aditibus emissos qui Gugos dormientes indicabant. Lamiae, cum timerent requietis finientis horam, velocius progredi coeperunt; sed iter idcirco breve non fiebat, nam in gigantum oppido isto valde extendebatur distantia. Tandem ad aliquantum ampliorem locum venerunt ante turrem etiam aliis ingentiolem patentem ejusdemque super aditu colosso incisum erat signum monstruosum cujus ipse intuitus et ejus sensus ignaros horrificabat. Ea turris media erat Koth nota signata cujus immanes gradus lapidei, in crepusculo interiore parum visibiles, initium erant scalarum qua ad Oniriam superiorem nemusque incantatum ascendebatur.

Tunc inchoata est ascensio sempiterna per obscura integra acta, quamquam immanis graduum mensura progressum difficiliorem faciebat, cum ad Gugorum usum excisi essent, fereque tripedales. Neque gradus accurate computare valuit Carter, nam mox adeo enervatus factus est ut lamiae indefessae atque flexibiles ipsum adjuvare debuerint. Dum perpetuo ascendunt, ubicumque impendebat timor ne Gugi eos detegerent ac persequerentur; ut enim nullus istorum audet ostium lapideum ad nemus patentem propter Megisti exsecrationem sublevare, turris gradusque eos haud ita cohibebant, idcirco saepius formidines fugientes ad summum usque gradum insequebantur. Adeo acutae erant Gugorum aures ut conscendentium pedes nudi manusque facile audirentur cum civitas expergisceretur, sineque mora ingentes passus ferrent monstra, quae solent in Zin cameratis speluncis formidines absque luce persequi, ut praedam minorem lentiolemque in gradibus magnis apprehenderent. Despondebatur ejus animus qui consideraret Gugos silenter persequentes plane non audituros iri, sed repente ac atrociter conscendentes aggressuros esse in tenebris. Neque inveteratus apud Gugos lamiarum timor heic auxilio esse posset, cum omnia circumstantia graviter Gugis faverent. Necnon aderat furtivarum ac

veneniferarum formidinum periculum, quae saepius cum dormirent Gugi ad turrim insiliebant. Quod si diu Gugi dormirent formidinesque peractis in spelunca agendis citius redirent, facile conscendentium odorem perciperent negotia ista foetida et malevolentia; tunc fere expediret a Gugis comedi.

Per aeones ascenderant cum a superna obscuritate audita fuit tussis atque res pessima repente evasit. Patuit enim formidinem unam, vel etiam plures, in turrim erravisse prius quam venisset Carter sui que ductores; aequae patuit proximum fuisse hoc periculum. Post brevissimum admirationis tempus, lamia ductrix Carterum ad parietem depulit paresque quam expeditissime ordinavit, cum lapide sepulcrali ad contundendum parato ubi primum aspectus fuerit hostis. Lamiae tenebras perspicere possunt, qua de causa manus eorum haud ita in discrimine erat ac si Carter unus fuisset. Nec mora unguis sonus indicavit feram unam saltem descendente esse; lamiae lapidem tenere ut ictum unum eumque fatalem ferirent. Extemplo oculi bini subrufi aspecti sunt et formidinis anhelitus super unguis vocem auditus est. Ubi ad gradum super lamias salut, hae vi portentosa lapidem vibraverunt; cum sibilo atque singultu victima ruit abjecte. Constat unum fuisse animal; postquam breviter circum auscultaverant, lamiae Carter tetigerunt ut progrediendum significarent. Sicut prius eum adjuvare debuerunt atque laete ipse necationis locum reliquit, ubi formidinis cadaver horridum in obscuris jacebat.

Iam tandem lamiae socium constiterunt; supra manibus cum praetentaret, comprehendit Carter se denique magnam quadram lapideam attigisse. Tam ingens operculum aperire ultra posse quidem erat, sed lamiae sperabant id adeo tantum levare ut lapidem sepulcralem prout vectem intra insertarent Carterque per rimam evadere posset. Ipsi in proposito erat iterum gradus descendere perque Gugorum civitatem redire, nam sollerter persequentes eluderent, neque sciebant quo terrestri itinere Sarcomandam phantasmaticam peterent, ubi stabat porta ad abyssum a leonibus servata.

Perardue vires contenderunt lamiae tres ad operculum saxosum supra levandum dum Carter quoad valet eas adiuvat. Aestimavere latus ad summum gradum proximum idoneum esse huicque omnes nervos

infande nutritos suos intenderunt. Mox lucis radius cernebatur atque Carter, cui officium praepositum erat, extremum lapidem sepulcralem in rimam inseruit. Inde gravis contentio acta est, sed tardissime proficiebant, nam quoties lapidem inclinare non valuerunt ut quadram sublevaverint, toties nimirum ad pristinum statum reverterunt.

Repente eorum desperationem millies auxit sonus a gradibus infra excitatus. Nihil aliud fuit quam strepitus formidinis ungulati corporis cum per gradus deiceretur, sed ex omnibus rationibus quibus explicari posset cadaveris dejectio, plane nulla animum placabat. Lamiae igitur quae Gugorum mores noverant, fere furore captae intentius nisae sunt, adeo ut mirabiliter brevi temporis spatio quoad possent quadram levaverint ac sustinuerint cum Carter lapidem sepulcralem inclinavit donec commode hiaverit. Tunc Cartero auxilium dederunt ut exierit atque siverunt eum humeros suos lubricos conscendere, dein ejus pedes rexerunt cum extra benedictum Oniriae superioris humum manibus prehenderet. Nec mora ipsae lamiae exierunt, lapidem sepulcralem evertentes magnam quadram clauserunt, dum infra auditur anhelitus. Propter Megisti execrationem nullus Gugus umquam illac emergere posset, idcirco magna animi levatione et placatione Carter quiete jacuit in nemoris incantati fungis crassis immanibusque, cum ejus ductores prope lamiarum more conquiniscentes requiescerent.

Quamvis paraxenum fuisset nemus illud incantatum ubi tam diu ante spatiatum erat, prae abysso quam modo reliquerat vere delectamentum et refugium exsistebat. Nullus erat circum incola, cum Zoogi quadram illam mysteriosam timerent atque arcerent, continuoque Carter cum lamiis de futuro itinere consultavit. Per turrim redire jam non audebant, neque mundus vigil eas alliciebat cum audivissent praetereundum esse sacerdotes Nast et Caman-Thah in flammae caverna. Denique decrevere Sarcomandam ire ut per abyssi portam redirent, quamquam nesciebant qui illuc peterent. Reminiscebatur Carter eam in valle sub Leng sitam esse atque in Dylath-Leen mercatorem quemdam sinistrum cum oculis obliquis quem fama ferebat cum Leng commercium habere occurrisse; suasit igitur lamias ut Dylath-Leen quaerent, agrosque ad Nir et Scaeam transirent, dein secundum flumen ad os usque ambularent. Quod consilium eae statim ceperunt, neque

profectionem procrastinare voluerunt, cum caelum vesperascens totam noctem ad iter promitteret. Carter bestiis foedis dexteram porrexit, gratiasque de auxilio egit jussitque eas grato animo bestiam salutare quae olim Pickman fuerat; sed invite suspirium prae voluptate duxit cum abissent. Nam lamia est lamia, maximeque nonnisi injucundus homini sodalis. Postea Carter stagnum silvestre quaesivit corporeque inferni lutum abluit, ac denuo vestes induit quas secum tam curiose tulerat.

Iam nox erat in nemore arborum monstruosorum timorendo, sed fungi sublucidi efficiebant ut iter tam facile esset quam interdiu; Carter tunc per notam viam Celephaidem in Ooth-Nargai trans Colles Tanarianos profectus est. Inter ambulandum hippotigridem recordatus est quam fraxino alligatam reliquerat in monte Ngranek tam diu pridem in longinqua Oriaba secumque reputavit utrum larvae collectores eam invenerint liberaverintque. Etiam secum reputavit utrum olim Baharnam rediturus foret ad hippotigridis pretium absolvendum quae nocte occisa est in ruinis veteribus ad litus Yath atque utrum sui memor foret senex caupo. Talia mente agitabat in repetitae Oniriae superioris aere.

Actutum vero ejus processionem interrupit resonus ex amplissima cavaque arbore emissus. Magnum saxorum circulum vitaverat, cum eum pigeret modo cum Zoogis loqui, sed e miro gannitu ex arbore immensa orto patuit gravia concilia alibi haberi. Cum prope venerit, intentae vehementisque disputationis voces distinxit atque citius res animadvertit quae ipsi majori sollicitudini factae sunt. Bellum enim in catts disceptabant Zoogi in coeto suo maximo, cujus causa tota fuerat manus deleta quae Carterum ad Ulthar secuta erat, quam juste poenas dederat cattis propter malevola sua proposita. Quem casum diu ruminaverant Zoogi donec bellicose instructi totam felium gentem aggressuri fierent, impetus inopinatos serie facientes ut catts singillatim catervatimque inscios deprehenserint, ne Ulthar quidem felibus innumeratis tempus relinquerent ut milites evocarent exercitarentque. Hoc fuerat Zoogorum consilium atque Carter vidit id sibi oblitterandum esse priusquam ad magnam quaesitionem suam se reverteret.

Presso pede igitur Randolphus Carter ad nemus extremum se subduxit, unde felium vocem emisit super arva stellis illuminata. Dein

murilegus grandis quidam in proxima villa officium excepit signumque misit trans prata per leugas undantia ad milites tam parvos quam magnos, omnium generum coloribus tinctos pictosque, albos, nigros, flavos, fuscus, mixtos scilicet, deinceps resonavit per Nir et ultra Scaeam etiam ad Ulthar usque cuius catti multi una voce responderunt agmenque ordinavere. Luna feliciter nondum orta erat, idcirco feles omnes in terra erant. Velociter silenterque ab unoquoque foco tectove saluerunt atque tamquam amplum villosumque mare per planities ad nemoris oram influxerunt, ubi Carter eas recepit, ejusdemque oculos valde laetificavit formosorum sanorumque cattorum aspectus, postquam in abysso tam foeda negotia viderat ac contigerat. Gavisus est cum vidisset amicum venerabilem qui quondam Ulthar exercitum ducens se salvaverat cuiusque collum lautum ornabat collare dignitatem indicans, cuiusque mystaces martialiter oriebantur. Insuper in exercitu vice-locumtenentis officio fungebatur juvenis quidam alacer qui, ut patuit, nihil aliud fuerat quam catulus cui Carter catillum pinguis lactis spuma plenum donaverat in illa hora matutina jamdiu praeterita in Ulthar. Iam robustus bonae spei cattus factus erat qui sussurabat dum amico dexteram porrigit. Ejus avus dixit eum in exercitu bene proficere fierique posse ut post expeditionem alteram centuriatum acciperet.

Tunc Carter gentis felinae periculum retulit, cui undique responderunt graves gutturum susurrus gratias agentes. Cum strategis consultans oppugnationem extemporalem conceperunt, illico Zoogorum concilium aggredientes aliasque istorum arces, quorum ita impetum inopinatum antevenirent eosque ad deditionem compellerent antequam exercitum invadentem evocarent. Quo pacto sine mora cattorum mare vastum lucum incantatum inundavit ac circum concilii arborem emersit magnumque saxorum circulum. In ganitibus cito pavoris trepidationisque voces resonaverunt cum hostis aggredientes aspexerit; paucissime restiterunt fulvi Zoogi, furtivi ac curiosi. Praeviderunt se vinci, atque eorum animi ab ultione ad praesentem sui incolumitatem se vertere.

Dimidia cattorum pars in orbem sederunt cum Zoogi capti in medio starent, semitam inter sedentes apertam reliquerant ut novos captos quos feles ceterae alibi in nemore compulerant inducerent.

Conditioes copiose disceptatae sunt, interprete Cartero, atque pactum est Zoogos ea lege liberam nationem mansuram esse quod cattis amplum tetraonum, coturnicum, phasianorum in nemoris minus fabulosis partibus captorum tributum solverent. Iuvenes Zoogi duodecim e nobilibus gentibus electi pro obsidibus ad Felium Templum in Ulthar abducendi essent, atque victores clare monuerunt calamitosam causam in Zoogos fore cujusvis catti disparitionem in eorum partium limite. Quae ubi constituta sunt, sessionem dimiserunt catti et siverunt Zoogos sigillatim domum se recipere, quod propere fecerunt, dum retro oculos morose conjiciunt.

Felinus strategus annis provectus Cartero deductores dedit ad lucum transeundum quacumque exire vellet, cum aestimaret Zoogos in ipsum diram invidiam concepisse propter cassum belli propositum. Quod non sine gratia accepit ille, non tantum praebitae securitatis causa, sed quod catti sibi erant pergrata societas. Ita inter agmen jucundum et ludibundum, perfuncto fructuose officio, Randolphus Carter cum dignitate per incantatum arborum ingentium nemus translucensque iter fecit, dum cum seni statrego ejusque nepote de quaesitione suo loquitur, cum ceteri catti phantasticis saltibus circum luderent, foliave persequerentur vento flata per pristini soli fungos. Retulit cattus grandis se multum de ignota Cadath in frigida solitudine insita audivisse, ubi autem esset nescire. Quod ad mirabilem solis occidentis urbem pertineret, de ea non audivisse quidem, sed quodcumque postea audire potuerit libenter relaturum esse.

Quaesitori dedit feles nonnullas tesseras vocales magni apud Oniriae cattos pretii, eumque praecipue commendavit grandi felium duci Celephaidos, quo peteret. Ille grandaevus cattus, jam Cartero aliquantum notus, insignis Melitensis erat, cujus auctoritas usui esse posset in qualicumque negotio. Lucescebat cum ad aptam nemoris oram venissent atque Carter maestus amicis valedixit. Ipsum iuvenis vice-locumtenens cum quo familiaritatem catullo junxerat consecutus esset, quin vetuisset strategus annis provectus, nam institit patriarcha severus virtutis viam ei apud populum exercitumque esse. Ita solus Carter profectus est per arva aurea quae mysteriose juxta rivos salicibus ornatos extendebantur cum catti ad nemus se reverterint.

Viatori pernoti erant campi hortensii inter Maris Cereneriani silvam jacentes atque hilaris juxta flumen canorum Ucrani quod ipsi cursum indicabat iter faciebat. Sol altius super dulces clivos silvosos herbidosque oriens sexcentorum florum colores qui perinde ac stellae grumos aggeresque omnes ornabant et vividabat. Fausta nebula plagam totam pervadit, quae plusculum solis continet quam loca alia plusculumque avium apiumve bombi musici, idcirco homines eam quasi per fatarum regionem transeunt atque majore gaudio et admiratione capiuntur quam postea umquam meminerint.

Ad horam meridianam Carter Ciraniae subdialia jaspidea attigit, quae ad fluminis oram declinantia venustum templum sustinent quo rex quotannis a longinquo regno suo Ilek-Vad per crepusculascentia aequora venit lectica aurea latus ut Ucrani deum adoret qui sibi juveni cecinit cum in casa habitabat juxta ripam. Totum jaspide confectum est templum, super jugerum soli extensum cum muris areisque, septemque turribus fastigiatis, sacelloque interiore quo influit flumen per canales occultos et ubi deus nocte blande canit. Saepius luna musicam miram audit cum super areas et subdialia et fastigia lucet, sed nemini nisi regi Ilek-Vad liquet utrum dei cantus sit musica illa, an sacerdotum absconditorum psalmodia, nam ipse solus templum intravit sacerdotesque vidit. Nunc, cum dies in soporem delaberetur, silebat fanum exquisite incisum et Carter tantum audiebat ampli amnis murmur bombumque avium et apium, dum prorsus ambulat sub sole incantato.

Tota parte postmeridiana spatiatus est peregrinator per prata odorata secundumque ripam a ventis protectam cum collibus amoenis ubi instructa erant casae placidae fanaque deorum benignorum jaspide chrysoberyllove exsculptorum. Interdum prope Ucrani ripam ambulabat sibilandoque vocabat pisces iride ornatos in torrente crystallino salientes, necnon inter juncos murmurantes requiescebat silvamque nigram et amplam eminus spectabat cujus arbores alteram aquarum ripam proxime attingebant. In prioribus somniis bovipothos graviter incedentes aspexerat qui e silva potatum exhibant, at nullus nunc videndus erat. Nonnumquam gradu constitit ut piscem carnivorem spectaret avem piscatoriam capientem, quam micantibus sole squamis ad aquam

alliciebat ut ore hiante ejus rostrum apprehenderet cum venatrix volucris in eum se praecipitaverit.

Hora vesperascente cum clivum herbosum ascenderit, ante se in sole occidente exardescentia aspexit Thran mille aurea campanilia. Incredibiliter sublimia eminebant urbius illius fabulosae moenia ex alabastritae massa una facta, quorum summa pars in medium vergebat neque sciebatur quibus auxiliis aedificata sint, cum hominum memoriam superarent. At quamvis sublimia essent centum portis turrulisque ducentis instructa moenia, turres intus glomeratae albae colore sub campanilibus aureis etiam sublimiores erant ; idcirco qui in planitie erant eas ad coelum eminentes aspiciebant, modo clare lucentes, modo cacumina habentes nubibus nubeculâque involuta, modo etiam inferius caliginosae cum summa fastigia super vapores splenderent. Ubi autem Thran portae ad flumen patebant, latae crepidines marmoreae extendebantur, ibique stlatae exquisitae cedro odorifera et diospyro confectae in anchoris placide commorabantur, mirique nautae bardati in cupis fascibusque regionum longin quarum hieroglyphis notatis sedentes. Terram versus sub moenibus patebat rus, ubi villulae candidae inter colles parvos dulciter somniabant atque viae angustae multis pontibus lapideis munitae inter rivos et hortos lepide serpebant.

Vespere ambulavit Carter secundum plagam hanc virescentem et crepusculum aspexit a flumine emergens ad mirabilia campanilia aurea Thran usque. Modo sol occidit cum ad portam meridionalem venit eique obstetit custos toga rubra indutus cui narrare debuit somnia tria incredibilia ut demonstraret se somniatorem dignum esse qui per vicos declives et misteriosos Thran spatia retur atque in mercatibus demoraretur ubi stlatarum ornatarum merces venundabantur. Denique in fabulosam illam civitatem ambulavit Carter trans murum adeo densum ut cuniculus existeret porta, inde per angiportus flexos inter turres caeliferas involute serpentes. Lumina e fenestris cancellis maenianisque instructis micabant, cum lyrarum tiliarumque cantus timide ex atriis oriebantur ubi fontes scatebant marmorei. Cartero nota erat via, qui per strata obscuriora ad flumen descendit, ubi in vetere taberna maritima nauarchos nautasque occucurit sibi a sescentis aliis somniis notos. Ibi transmissionem condixit Celephaidem per stlatam

amplam viridemque ac pernoctavit cum tabernae catto grandaevo postquam colloquium fecerat, qui juxta focum ingentem connivebat somnisque videbat antiqua bella deosque dimissos.

Mane Carter stlatam conscendit Celephaidem petentem atque in prora sedit cum funes absolverentur inciperetque longa navigatio ad mare Cerenerianum. Per multas leugas ripae tales fuere quales erant circa Thran, cum heic illicque surgeret mirum templum in collibus longinquiribus ad dextram, pagusve soporatus in littore, cum tectis rubris abruptisque et retibus in sole extensis. Quaesitioni suae intentus Carter nautas curiose interrogavit de iis quos occurrit in Celephaidos popinis et sciscitabatur nomina moresque istorum hominum alienorum qui oculos longiformes coartatosque, aures promissas, nasum exilem, mentum acutum praebebant, atris navibus a Septentrione vecti onychem negotiabantur pro Celephaidos nephrite incisa, auro torso, aviculis rubris canorisque. De illis haud multum sciebant nautae, tantum eos taciturnos esse et quasi timorem religiosum circum se propagare.

Illorum longinquissima regio Inquanok appellabatur neque multi audebantur illuc adire quod plaga algida erat crepusculo involuta, ac ferebatur prope esse ad injucundum Leng; montes autem altissimi et inxsuperabiles emerent ad latus versus ubi reputabant jacere Leng, idcirco nemo asseverare poterat utrum paramus iste maleficus, cum horrendis vicis saxosis nefandoque monasterio, reapse ibi esset, an rumores tantum suscicaret metus quo timidi noctu afficiebantur cum murus montuosus formidolosusque surgeret sub oriente luna. Homines profecto Leng a maribus pluribus attingere possent, sed nihil sciebant nautae de Inquanok aliis confiniis, neque de algida solitudine neque de ignota Cadath praeter rumores incertos audiverant. De mirabili vero solis occidentis urbe prorsus nihil noverant. Idcirco viator de longinquis amplius non interrogavit, sed oppertus est donec colloqui liceret cum hominibus illis extraneis ab algida et crepusculo involuta Inquanok oriundi, qui talium deorum progenies sunt qui vultus suos in Ngranek inciderent.

Ad multum diem stlata fluminis anfractus pervenit trans Kied silvas pristinas et odoriferas. Heic vellet Carter appellere, cum in tropica profusione dormirent mirabilia palatia eburnea, solitaria atque intacta,

ubi quondam vivebant reges fabulosi quorum regni nomen ab hominum memoria delapsum erat. Priscorum Deorum carmina loca illa a damno et ruina servant, nam scriptum est ea olim denuo necessaria fieri posse; elephantum synodiae eminus ad lunam ea aspexerunt, at nemo audet propius ire propter custodes quorum operâ servata sunt. Sed navis processit cum crepusculum diei fremitibus silentium fecerit primaeque stellae supra micando riparum primis muscis igniferis responderint et procul recesserint silvae, fragrantiam tantum memoriae relinquentes. Per totam noctem stlata invisâ neque suspecta mysteria praeteriit. Semel excubiae retulerunt ignes esse in collibus ad orientem, sed navarchus dormitans dixit praestare eos nimis non spectare, cum dubium esset qui quodve eos accendisset.

Mane flumen valde latius factum erat atque ex domibus juxta ripas sitis advertit Carter jam appropinquavisse magnam civitatem negotiosam Hlanith ad Mare Cerenerianum; cujus muri granitia aspra confecti sunt domusque vertiginose phantasticae cum fastigiis trabibus gypsoque factis. Hlanith homines similiores sunt mundi vigilis incolarum quam totius Oniriae alii, idcirco eam civitatem non quaeritur nisi commercii causa, sed propter artificum opera solida bene audit. Hlanith crepidines quercu confectae sunt, ibique stlatta commorata est cum navarchus in tabernis negotiaretur. Et Carter e nave egressus curiose vias inspexit orbitis incisâs ubi plaustra lignea bobus tracta tarde progrediabantur mercatoresque fervidi in nundinis mercedes suas vacive venditabant. Tabernae maritime omnes crepidines prope sitae erant juxta angiportus pavimento stratas, quas maris accessus sale aspergebant, popinae videbantur infande antiquae cum tectorum humilum trabibus nigris fenestrisque viridibus et rotundis. Veterani marini in his tabernis multum de portibus longe distantibus loquebantur multaque referebant de miris Inquanok crepusculascentis hominibus, sed paulum fuit quod stlatae nautae prius non retulerant. Denique, post multum mercium commeatum, navis sole occidente denuo vela ad aequora versus dedit cum ultima diei lux aurea recedentia Hlanith moenia fastigiaque formositate super omnem hominum artem mirabili donaret.

Binotio biduoque stlatta mare Cerenerianum navigavit ultra terrae conspectum atque navem unam tantum eminus vocare potuerunt.

Exeunte die secundo montis Aran apex nivosus emittit cum in clivis inferioribus vacillant arbores bilobae ; tunc Cartero certum factum est se ad regionem Ooth-Nargai mirabilemque civitatem Celephaidem pervenisse. Nec mora pinnacula splendentia illius urbis fabulosae adspexerunt, murosque immaculatos marmoreos imaginibus aeneis ornatos, magnumque pontem lapideum ubi Naraxa in mare influit. Dein orti sunt colles lenes post urbem, cum nemoribus asphodeliorumque hortis, sacellis et casis ; atque in ultima parte procul videbatur Tanarianorum jugum purpureum, tam potens quam mysticum, cum ultra laterent viae interdictae ad mundum vigilem plagasque somniorum alias.

Portus triremium pictarum plenus erat, quarum aliae ab urbe nebulosa marmoreaque Seranniana, quae in ethere est ultra maris caelique conjunctionem sita, veniebant, aliae autem a partibus solidioribus Oniriae. Inter triremes gubernator scite stultitiam insinuavit ad crepidines species aromataque redolentes, ubi in crepusculo navis deligata est, cum urbis millies milia lychnorum super aquas micare coeperint. Semper recentem aspectum praebet visionum civitas illa immortalis, nam heic tempus inquinare delereve non valet. Ut fuerat adhuc est Nath-Horthath callaina atque octoginta sacerdotes orchidibus coronati idem ipsi sunt qui urbem annorum ante decies milibus condiderunt. Adhuc splendet portarum magnarum aes neque pavimentorum onyx umquam conteritur frangiturve. Et magnae imagines aeneae de muris negatiores camelorumque aurigas despiciunt fabulâ veteriores, quorum tamen barbae bifurcae vel uno capilo cano egent.

Carter templum, palatium, arcem minime quaesivit, sed ad murum maritimum demoratus est inter negotiatores nautasque. Cum jam sero fuisset ut rumores legendaeque traderentur, tabernam sibi bene notam petivit ibique requievit somnis dum videt ignotae Cadath deos quos quaerebat. Postridie secundum omnes caias Inquanok nautas extraneos investigavit, sed relatum est jam nullum in portu esse, cum eorum triremis a septentrione non ante binas septimanas plane ventura non esset. Repperit tamen unum nautam Thorabonianum qui in Inquanok fuerat illiusque loci crepusculascentis in lapicidinis onychinis

laboraverat ; is ait certe esse viam ad regionis inhabitatae septentrionem descendentem, quam omnes, ut patebat, timebant arcebantque. Opinabatur solitudinem circum apicum inexcuperabilium labrum extremum ad Leng paramum horribilem ducere, qua de causa homines eam timerent, sed concessit incertas fuisse fabellas alias de praesentiis malevolis excubiisque innominandis. Utrum vero ea esset solitudo fabulosa ubi ignota Cadath sita esset annon, nesciret sed parum veri simile videbatur incassum dispositas esse praesentias excubiasque istas, dummodo reapse fuissent.

Postridie Carter Viam Columnarum ad templum callainum secutus cum Sacerdote Maximo collocutus est. Quamquam Nath-Horthath praecipue colitur Celephaide, omnes Megisti in precibus diurnis commemorantur, itaque sacerdos illorum adfectuum ignarus non erat. Sicut Atal in longinqua Ulthar, firmiter monuit ne quovis modo illos visere conaretur ; affirmavit enim illos stomachosos esse et inconstantes paraxenoque praesidio frui Deorum Alienorum extraneorum amentiumque quorum anima et nuntius est chaos reptans Nyarlathotep. Quod mirabilem solis occidentis urbem zelotype occultant clare manifestaret illos nolle Cartem illuc pervenire ancepsque esset quomodo hospitem accepturi essent qui vellet se visere sibi que causam orare. Nullus antehac Cadath repperisset potiusque expediret neminem eam posthac invenire. Rumores quales de castello illo Megistorum onychino tradebantur nullo modo animum placarent.

Summo Sacerdotis orchidibus coronato gratiis actis, Carter e templo exivit laniorumque ovilium mercatum petiit, ubi contentus lautusque vivebat Celephaidis cattorum dux annis provectus. Canum augustumque animal in pavimento onychino apricabatur venientique hospiti dexteram languidam porrexit. Ubi vero Carter tesseram vocales repetit commendationesque a grandaevo Ulthar felium stratego traditas, patriarcha pillosus comis festivusque factus multum retulit de secretis quae noverant catti Ooth-Nargai clivos maritimos incolentes. Quod optimum fuit, nonnulla tradidit sibi furtive relata a cattis timidis in Celephaidis portu habitantibus de Inquanok hominibus, quorum naves nigras nullus cattus conscendere vellet.

Videbatur his viris afflare auram extramundanam, sed non propter hoc feles nollent illorum naves conscendere. Causa enim est quod Inquanok impenderent umbrae quales nullus murilegus ferre posset, idcirco in illo regno algido et crepusculascente felinus nullus sussurus voxve familiaris auditur quibus corda laetentur. Utrum causa sint negotia ab hypotheticali Leng trans apices inexcuperabiles portata, an negotia a boreali solitudine frigida percolantia nemo dijudicare potest ; sed id tantum patet quod in plaga illa longinqua spatii extranei indicium quoddam fovetur quod catti non amant, cum id acutius quam homines percipere possint. Idcirco auras naves conscendere nolunt quae Inquanok caias basalticas petant.

Felium dux grandaevus etiam ei dixit ubi amicum inveniret Curanem, qui in Carteri somniis recentioribus vicissim in Palatio rosaeo crystallino Septuaginta Deliciarum appellato Celephaide regnaverat, et in castello nebuloso turrulis ornato in Seranniana caelesti. Videtabur illum in neutro loco jam serene contineri, sed magnum desiderium fovere Angliae scopulorum valliumque quae puer noverat, ubi in viculis somniosis veteres Angliae cantiunculae vespere a fenestris transennatis volitant et campanilia rava ultra valles viridentes procul aspiciuntur. Ad mundi vigilis res has redire non licebat, cum mortuus esset corpore, sed quoad posset simillima substituerat somniisque plagulam ejusdem ruris elaboraverat ad urbis orientem ubi prata lepida a scopulis maritimis ad imas colles Tanarianas usque extenduntur. Ibi praedium lapideum inhabitabat gothico more aedificatum ad mare spectans conabaturque fingere id fuisse Turres Trevorianas ubi natus erat ac ante natus esse majorum generationes tredecim. In vicino litore viculum piscatorium Cornubiensem extruxerat cum angiportibus arduis et pavitis curaveratque vivendos homines quorum vultus quam maxime anglici fuissent, neque desinebat eos pronuntiatum docere piscatorum Cornubiensium cujus memoriâ delectabatur. Inque valle haud procul distante abbatiam more Normannorum aedificaverat cujus turrim a fenestra videret, circumque sepulchretum instruxerat ubi majorum nomina incisa erant cujusque muscus Angliae similior esset. Cum enim Curanes rex esset in Oniria omnibusque magnificis et mirabilibus, splendoribus et venustatibus, delitiis et voluptatibus, oblectamentis et

avocamentis ad libitum frueretur, omnem potentiam et luxuriam et libertatem perlibenter in perpetuum rejecisset dum vel unam diem beatam in pura tranquillaque Anglia illa degeret, in illa Anglia dilectissima quae se ipsum informaverat cujusque semper particula foret ipse.

Itaque, postquam Carter catto grandaevo canoque valedixerat, palatium crystallo rosaeo podiisque instructum non petiit, sed a porta orientali exivit et trans campos bellibus ornatos ad fastigium acutum ivit quod aspiciebat per quercus hortorum secundum scopulos maritimos extensorum. Denique ad magnam saepem venit portulamque juxta tugurium lateribus confectum ; cum tintinabulum sonavit, sibi venit non pedisequus togatus unctusque palatinus, sed rudis senex sago indutus qui miras Cornubienses voces quoad poterat loquendo imitabat. Et Carter semitam umbrosam inter arbores, quae quam simillimae erant Angliae, ambulavit xystosque ascendit in hortis instructos aetatis Reginae Annae more. Ad januam, quam custodiebant more vetere bini catti lapidei, eum accepit major domus mysticatus genas aptisque vestibibus ornatus, qui eum continuo ad librariam duxit ubi Curanes, dominus Ooth-Nargai caelique circum Serannianam jacentis, cogitabundus in sedili ad fenestram sedebat unde viculum suum maritimum contemplant dum exspectat vetulam suam nutricem venire ut se increpet quia nondum paratus sit ad molestam invitationem agrestem apud parochum, cum currus praestoletur materque impatiens fiat.

Curanes veste domestica amictus quali favebant sartores Londinienses juventutis suae tempore, avide surrexit ut hospitem reciperet ; nam Anglo-Saxus a mundo vigile veniens pergratus sibi erat, etsi non a Cornubia, sed Bostonia Massachusettensi veniret hic Anglo-Saxus. Diu de temporibus veteribus collocuti sunt, multum enim erat quod tractarent, cum uterque somniator esset inveteratus locorumque incredibilium ac mirabilium peritus. Immo Curanes ultra stellas ad ultimum aetherem usque iverat ferebaturque eum solum fuisse qui sane mente a tanto itinere reversus esset.

Carter denique quaestionem suam attigit hospitemque percontatus est quae alios percontatus erat. Nesciebat Curanes ubi esset

Cadath, neque mirabilis solis occidentis urbs, at certe noverat admodum periculosas creaturas esse Megistos cui eas quaereret, Disque Alienis miros modos esse ab importuna curiositate se defendendi. Multa de Dis Alienis in aetheris partibus longinquis didicerat, praecipue in regione illa ubi forma non est mephitesque coloratae secreta altissima scrutantur. S'ngac illa mephitis ianthina sibi terribilia de chao reptante Nyarlathotep retulerat monueratque ne umquam ad medium vacuum appropinquaret, ubi daemonium satrapes Azathoth in tenebris avidè rodit. In summa nefas esset cum Dis Priscis versari atque si constanter accessum ad mirabilem solis occidentis urbem negarent, expediret illam urbem non quaerere.

Porro Curani dubium erat utrum hospiti, et si valuisset, usui fieret ad urbem accedere. Ipse annis multis Celephaidem lepidam et Ooth-Nargai regionem somniaverat desideraverat-que, necnon libertatem et colores et altiorem experientiam vitae sine vinculis, officiis, stultiis agenda. Nunc vero, cum in illa urbe illaque regione esset tandem regnaretque, ocius repperisset contritas esse libertatem et acritatem, immo taediosam propter separationem ab omni in affectibus memoriisque firmo. Rex quidem in Ooth-Nargai esset, sed nullum sensum in hoc inveniret atque langueret res erga Angliae familiares quae iuventutem suam informaverat. Totum regnum suum libenter daret pro Cornubiensium campanis vocibus ab ecclesia super clivos sonantibus, omniaque milia Celephaidis pinnaculorum pro communibus tectis abruptis viculi prope domum jacentis. Itaque hospitem monuit fieri posse ut urbs solis occidentis ignota ab expectatione differret, qua de causa expediret illam in perpetuum somnium remanere mirificum vixque recordatum. Nam Carterum ille saepe visitaverat in diebus pristinis vigilibus beneque noverat colles Novae Angliae amabiles ubi is natus erat.

Novissime, ut ipse pro certissimo habebat, investigator priora mature memoriae retenta desideraturus foret : vespertinum Phari Collis splendorem, elegantis Portus Regii campanilia procera strataque clivosa et involuta, tecta vetera Arkham antiquae et a maleficis infestatae, beata prata vallesque ubi saepes saxosae cursum sinuosum delineabant villularumque candidarum fastigia trans umbracula viridia

aspiciebantur. Haec Randolpho Cartero retulit, sed quaesitor proposito suo haesit. Denique discesserunt, utroque persuasum retinente, atque Carter per portam aeneam Celephaidem rediit, Viamque Columnarum secutus ad veterem murum maritimum venit, ubi amplius cum nautis a portibus longinquis advenis collocutus est et navem atram ex Inquanok algida et crepusculascente exspectabat, cujus nautici vultu miri onychisque negotiatores in se Megistorum sanguinem habebant.

Stellis olim vespere micantibus, dum Pharos super portum splendet, navis diu exspectata appulit atque nautae vultu miri et negotiatores singulatim vel catervatim in veteribus tabernis juxta murum maritimum apparuerunt. Tumultuante animo iterum vidit facies illas viventes divini vultus in Ngranek incisi tam similes, sed Carter cunctatus est nautas taciturnos alloqui. Nesciebat enim quousque superbia, secretum, obscurata supernaturalium memoria filios Megistorum illos implerent atque pro certo habebat imprudens esse iis de quaesitione sua loqui vel curiosius eos interrogare de solitudine ista algida quae ad septentrionem plagae eorum crepusculascentis extendebatur. Cum aliis antiquarum tabernarum maritimarum potatoribus parum colloquebantur, potius in angulis secessis congregiebantur atque inter se locorum ignotorum modis canebant qui animos commoverent, vel invicem fabulas longas cantabant quarum voces Oniriae extraneae essent. Atque tam rara et profunda existebant modi illi fabulaeque ut eorum efficacitas mirabilis perspicui posset ab auditorum vultibus, quamquam verba in auribus vulgaribus rhapsodia aliena melodiaque obscura evaderent.

Per septimanam marini extranei in tabernis versabantur et in Celephaidis nundinis negotiabantur, atqui ante quam vela darent Carter in eorum nave atra transmissionem condixerat, dum iis explicat se veteranum esse onychis fossorem qui vellet in eorum lapicidinis operari. Navis autem perquam lauta erat sciteque elaborata, ligno exotico confecta cum ambagibus hebeneis aureisque lineamentis, in vectoris cubiculo erant aulaea serica linteaque. Mane aestu commutato navem solverunt atque Carter in puppi superiore stans Celephaidis perantiquae urbis moenia sole oriente resplendentia, imagines aeneas, pinnacula aurea gradatim evanescentia spectavit, cum Montis Man cacumen

nivosum minus minusque fieret. Circa horam meridianam nihil erat quod aspiceret nisi maris Cereneriani dulcis caeruleus color eminusque triremis picta regnum Serannianum petens ubi mare et caelum junguntur.

Et venit nox splendidis stellis comitantibus, et navis atra ad constellationes boreales quae lente polum circumeunt cursum vertit. Et nautae miros cantus de locis ignotis cecinerunt, et singuli ad prorae cubiculum furtive iverunt cum vigiles carmina vetera murmurarent atque cancellis nisi pisces luminosos in submarinis umbraculis ludentes observabant. Carter circa mediam noctem dormitum ivit, atque in luce matutina expergiscens advertit solem extra ordinem ad meridiem inflecti videri. Et die altero profecit in viris navis cognoscendis, graduatim effecit ut ipsi de algida plaga crepusculascente loquerentur, deque sua exquisita urbe onychina necnon de timore suo apices erga inexcuperabiles ultra quos ferebatur esse Leng. Ei retulerunt quantum paeniteret nullum cattum in Inquanok plaga residere velle, atque aestimare causam esse Leng occultam vicinitatem. At Septentrionis desertum saxosum attingere volebant. Aliquid enim metuendum erat in hac solitudine atque expediebat, ut censebant, ejus existentiam non agnoscere.

Posteris diebus de lapidinis locuti sunt ubi Carter dicebat se operaturum esse. Multae erant, cum tota civitas Inquanok onyche edificata esset ac magnarum ochynarum molium mercaturas faciebant in Rinar, Ogrothan, Celephaide et in ipsa Inquanok cum negotiatoribus a Thraa, Flarnek, Kadatheron pro illorum portuum fabulosorum pulchris mercimoniis. Et procul in partibus borealibus, fere in solitudine algida cujus existentiam Inquanok incolas agnoscere pigebat, omnibus ceteris ampliores lapidinae erant eaeque derelictae, a quibus in temporibus in oblivione delapsis moles massaeque ita prodigiosae dolatae erant ut ipsa excavatorum visio omnibus spectantibus terrorem injiceret. Quis has moles incredibiles exciderit quoque latae sint nullus dicere poterat, sed aestimabatur expedire lapidinas illas non turbare, quibus tantae memoriae inhumanae adhaerere possent. Itaque in crepusculo relictas erant, et corvus grypsque fabulosus tantum super immensis illis incubabant. Ubi Carter de lapidinis illis audiverit, multum ad

cogitatum commotus est, cum ex fabulis veteribus novisset Megistorum castellum super ignotam Cadath edificatum onychum fuisse.

Cottidie solis orbis in coelo magis demittebatur, cum caligo densior fieret. Post septimanas duas solis lux omnino defuit, cum crepusculum cinereum et portentosum trans nubes perpetuas interdiu luceret et nocte phosphorentia frigida sine stellis infra nubes manaret. Die vicesimo eminus in mari aspexerunt magnum scopulum serratum, qui prima exsistebat terra postquam montis Man apex nivosus, abeunte nave, evanuerat. Scopuli nomen Carter navarchum percontatus est, sed respondit ei nomen non esse ac numquam ibi appulisse navem propter voces nocte resonantes. Cum vero, post solis occasum, ulutatus continuus tarde emissus esset e loco isto granitico et serrato, gavisus est viator quod navis non appellitur scopuloque nomen deest. Nautae oraverunt et cecinerunt donec voces audiri desiverint atque Carter nocte intempesta in mediis somniis somnia vidit terribilia.

Tertio postea mane ad septentrionem orientemque procul eminebat aliorum montium ravorum linea quorum cacumina in mundi illius crepusculascentis nubibus perpetuis celabantur. Quibus aspectis, nautae cantica laeta cecinere, nonnullique in tabulato genua flexerunt ut deos precarentur ; itaque novit Carter Inquanok regionem advenisse moxque appulsurum esse ad crepidines basalticas magnae urbis quae regionis nomine appellabatur. Ad horam meridianam litus atrum aspexerunt et ante horam tertiam ad septentrionem conspexerunt civitatis onychinae tholos bulbosos campaniliaque phantastica. Mira atque paraxena exsistebat urbs illa antiqua supra moenia crepidinesque, quae omnia exquisiti nigri coloris erant cum evolutis aureis ornamentis. Aedes altae erant multisque fenestris instructae, omniaque eorum latera floribus incisa erant figurisque quarum atra concinitas oculos occaecabat pulchritudine ipsa luce acriore. Aedes alias coranabant tholi tumescentes quorum apex quasi acus evadebat ; alias pyramidia gradata unde pinnacula surgebant catervatim, omnesque extraneitatis imaginationisque species explicabant. Muri humiles erant multisque portis muniti, ac portam quamque tegebat arcus amplus qui omnibus ceteris superabat quemque dii caput coronabat eadem ipsa arte excisum ac facies illa monstruosa in longinquo Ngranek. In media colle turris

oriebatur sedeciens angulata omnium altissima cujus summus tholus complanatus balfridum fastigiatum sustinebat. Id retulerunt nautae fanum esse Deorum Priscorum, cui praestaret archierus secretis intimis contristatus.

Interdatis temporibus, mirae campanae clangor super civitatem onychinam diffringebatur, cui respondebat buccinarum, lyrarum, psaltriarum musica mystica. Et e tripodibus in ambulacro ordinatis circum fani tholum supremum interdum flagrabant flammæ ; nam illius urbis sacerdotes populusque mysteriorum pristinorum gnari erant et fideliter numeros servaverant Megistorum quales traditi erant in voluminibus antiquioribus quam ipsa manuscripta Pnacotica. Ubi navis magnam basalticam molem transivit ut portum intraret, civitatis voces minores percipi potuerunt atque Carter in crepidinibus servos, nautas, negotiatores aspexit. Qui nautae negotiatoresque deorum generis erant vultus mirandi, servi autem homines erant obesi cum oculis obliquis quos fama ferebat trans apices inexcuperabiles a vallibus ultra Leng venisse. Crepidines ab urbis moenibus procul extendebantur ibique omnium generum merces a triremibus commorantibus expositae accumulatae erant, necnon magnae onychis tam incisi quam nativi massae quae ad Rinar, Ograthan, Celephaidis mercatus longinquos transportandae erant.

Nondum vesperascebat cum atra navis ancoram iecit juxta caiam lapideam omnesque nautae et negotiatores ordinate egressi sunt ac portâ arcuatâ urbem intraverunt, cujus viae onyche stratae erant, aliae latae et rectae, aliae vero angustae et flexuosae. Domus prope ad aquam sitae humiliores erant ceteris superque mire arcuatis januis signis quibusdam notatae erant quae ferebant deos quosque minores honorare bonae voluntatis. Navarchus Carterum ad tabernam veterem duxit ubi congregiebantur extranearum regionum marini atque pollicitus est postridie ei urbis crepusculascentis mirabilia ostendere eumque ad onychis fossorum tabernas ducere juxta murum septentrionalem. Accedente vespere, lychnia aenea accensa sunt atque tabernae nautae cantus de locis remotis cecinere. Cum vero a turri excelsa magna campana super urbem vocem diffregit responderitque buccinae, lyrae, psaltriae sonores et crypticae, omnes cantus fabulasque interruperunt

atque silentes capita demiserunt donec resonus ultimus evanesceret. Nam super urbe crepusculascente Inquanok portentum est mirabile et homines cavent ne ritus laxent quominus fatum et ultio inopinate prope arrepan.

In tabernae angulo profunde umbris immerso Carter formam subsidentem aspexit paucum gratam, nam procul dubio iste exsistebat negotiator oculis obliquis senex quem diu pridem in Dylath-Leen tabernis viderat, quemque fama ferebat commercium gerere cum Leng horrendis vicis lapideis, quos homines sani numquam visebant ac quorum ignes maligni nocte eminus aspiciebantur; insuper mercatus esset cum Sacerdote Maximo illo Non Describendo, qui flava persona serica faciem tegit et solus habitat in monasterio lapideo ante hominum memoria aedificato. Iste mirum in modum conscium vultum prave praebeuit cum Carter negotiatores Dylath-Leenenses percontatus esset solitudinem algidam et Cadath; aliquo modo, quod in atra et infestata Inquanok aderat animum minime confirmabat. Antequam Carter eum alloqui potuisset autem elapsus est atque nautae postea dixerunt istum cum boum hirsutorum synodia ab incerto loco venisse secum ferentem ova ingentia et gustatu opulenta grypis fabulosi, quae mercari vellet pro poculis nephriticis scite confectis quae negotiatores ab Ilarneferebant.

Postridie mane navarchus Carterum per vias onychinas Inquanok duxit, easdemque sub caelo crepusculascente atras. Januae incisae aediumque frontes imaginibus ornatae, maeniana decorata, oriola crystallina, omnia atra pulchritudine atque polita splendebant; interdum platea patebat nigris columnis, porticibus, simul humanorum et fabulosorum entium imaginibus instructa. Longarum rectarumque viarum necnon angiportuum, tholorum bulbosorum, campanilium, tectorum convolutorum conspectus extraneitatem et formositatem praebebant ineffabilem; nihil autem splendore superabat magnum mediumque Deorum Priscorum Fanum cujus moles sedeciens angulata, tholus complanatus, balfridum fastigiatum ceteris omnibus praestabant atque a qualicumque parte visa augusta evadebant. Ad orientem vero, longe super civitatis moenia ac pratorum agrorumque leugas, apicum inxsuperabilium latera nuda et cinerea eminebant, ultra quae ferebatur Leng foedam jacere.

Navarchus Carterum ad fanum ingens duxit, quod in hortis muris cinctis exstructum erat in media magna platea eaque rotunda, unde viae quasi radii ex axi producebantur. Hortorum septem portae arcuatae, quarum singulae eundem vultum incisum praebebant ac civitatis portae, semper patent atque populus utcumque velit, religiose per semitas tesselatas angiportusque deambulat inter terminos ludicos et deorum humiliorum sacella. Et ibi sunt fontes, piscinae, lacunae onyxe confecta omnia ubi natant pisciculi luminosi ab urinatoribus ex oceani profundis capti ubique crebres tripodum fulgores ex alto podio repercutiuntur. Cum clangor gravis a templi balfrido super hortos civitatemque diffringatur respondeantque bucinæ et lyrae et voces a septem casis juxta hortorum portas, a septem fani portas exeunt longa sacerdotum larvatorum et cucullatorum agmina nigro indutorum, qui porrectis manibus prae se ferunt magnos calices aureos e quibus mirus fumus oritur. Et septem agmina simplice ordine mirum in modum magnificumque per semitas incedunt rectis cruribus neque inflexis genibus ad septem casas usque ubi evanescent neque iterum apparent. Fama refert tramitibus subterraneis casas fano connecti qua longa sacerdotum agmina redeant ; clam monent aliqui altos gradus onychinos ad infanda mysteria descendere. Sed perpauci sunt qui subiciunt sacerdotes larvatos et cucullatos homines non esse.

Fanum Carter non intravit, quoniam non nisi Regi Velato licet. Sed antequam hortos relinqueret venit campanae hora et clangorem diffringentem quo obsurdesceret super se audivit, necnon bucinas, lyras, voces alte ejulantes in casis ad portas. Et secundum septem semitas majores processerunt longa agmina sacerdotum calices ferentium miro suo modo, qui viatori metum instillaverunt qualem haud saepe instillent sacerdotes humani. Ubi novissimus eorum evanuit, Carter ex hortis exeuns animadvertit maculam esse in pavimento qua lati erant calices. Ipse navarchus maculam fastidiit eumque ad collem ursit ubi Regis Velati palatium mirabile multos tholos ostendit.

Viae ad palatium onychinum clivae sunt et angustae omnes nisi ea lata et deflexa ubi rex cum sociis bobus hirsutis equitant aut vehuntur. Carter cum ductore angiportum gradatum conscendit inter muros signis miris aureis incisos ac sub maenianis oriolisque unde musica suavis vel

odores extranei interdum oriebantur. Ante vero semper eminebant muri titiani, anterides firmae, tholorum bulbosorum cumuli quae Regis Velati palatii famam illustrant; denique magnum arcum nigrum transierunt et in principis deliciarum hortum evenerunt. Tanta pulchritudine Carter obstupuit graduque stitit, nam onychini xysti et porticus, lepidi flores et arbores florentes transennis aureis extensi, urnae tripodesque aenei sollerter incisi, statuae marmore nigro exstructae super podium fere spirantes, fontes quorum pisculi luminosi super tessellas basalticas natabant, templa minuscula in columnis caelatis instructa ubi aves versicolores canebant, magnarum portarum aenearum ornamenta mirabiliter intorta, vitesque efflorescentes per totam murorum politorum superficiem explicatae: haec omnia uno conspectu conjuncta erant cuius formositas rerum veritatem superabat atque in ipsa Oniria fere fabulosa evadebat. Quasi simulacrum tremebat sub caelo crepusculascente, cum ante emerent palatii tholi et ornamenta, aquae dextera phantastice orientur apices inextinguibiles. Et jugiter canebant aviculae fontesque, cum florum rariorum odor tamquam velum super hortos illos incredibiles extenderetur. Nullus alius homo ibi aspiciebatur, de quo gavisus est Carter. Deinde se verterunt et per gradus onychinos redierunt, nam ipsum palatium nulli transeunti ingredi licet; neque fas est diutius magnum tholum medium spectare, cum feratur ibi vivere grypum famosorum patrem pristinum eundemque somnia insolita curiosis mittere.

Dein navarchus Carterum ad urbis regionem septentrionalem duxit, prope ad Synodiarum Portam, ubi erant boum hirsutorum negotiatorum atque onycis fossorum tabernae. Ibi autem, in humili lapicidarum popina, invicem valedixerunt, nam negotium navarchum occupabat, cum Carter citius cum fossoribus borealibus colloqui vellet. Multi erant in popina compositores, neque cunctatus est viator nonnullos alloqui, asserens se veteranum esse onycis fossorem qui vellet aliquid scire de Inquanok lapicidinibus. Haud vero multum didicit quod prius nesciret, nam fossores timidi erant ambiguique de solitudine algida boreali deque lapicidina quam nemo viseret. Emissarios fabulosos trans montes venientes ubi fertur jacere Leng timebant, praesentiasque malignas excubiasque innominandas in extremo septentrione inter saxos

dispersos. Et clam admonebant famosos grypes sana negotia non esse, cum melius fuisset neminem unum istorum umquam certe vidisse (nam grypum patrem illum pristinum in regis tholo in tenebris pascebant).

Postridie, Carter dixit se velle ipsum plures lapicidinas inspicere et praediola mirosque Inquanok onychinos vicos visere atque bovem hirsutum conduxit et amplas bulgas coricas itineris causa replevit. Ultra Synodiarum Portam extendebatur via inter agros cultos multasque villulas tholis parvis coronatas. Quaesitor in nonnullis villulis percontatus est ; in una vero earum hospitem ita severum taciturnumque invenit, cujus vultum tam ineffabilis majestas implebat, eademque faciei ingentis in Ngranek incisae simillima, ut pro certo habuerit se tandem ad unum ipsorum Megistorum venisse, vel qui plane illorum sanguinis majorem partem haberet, inter homines viventem. Itaque cum vilico illo severo ac taciturno cavit ut de dis nihil nisi boni diceret maximeque omnes benedictiones ab illis acceptas laudaret.

Illa nocte in prato juxta viam dormivit Carter, sub magna arbore lygath cui bovem hirsutum copulavit, mane autem ad boream peregrinari perrexit. Circa horam decimam ad vicum Urg venit cujus domus parvis tholis instructae erant, ubi requiescunt mercatores et fossores fabulas suas narrant ; ibi ad horam meridianam in popinis se refecit. Locus est hic ubi magnarum synodiarum via ad occidentem versus Selarn deflectit, sed Carter cursum ad boream tenuit secundum lapicidarum viam. Quam viam ascendentem per totam partem postmeridianam secutus est, eademque aliquantulum angustior fuerat quam magna via raedaria et nunc trans plagam magis saxis quam agris cultis instructam ibat. Et ad vesperam humiles colles a sinistra rupes nigrae atque grandes factae erant ; idcirco advertit se ad regionem lapidinarum appropinquare. Interea procul a dextera montium inxsuperabilium latera nuda excelsaque eminebant, ac quo magis iter faciebat, eo pejores fabulas de iis audiebat a raris agricolis, negotiatoribus, petorritorum onychinorum raedariis qui sibi obviam fierent.

Secunda nocte sub rupe magna nigraque tetendit, copulato bove hirsuto ad palum in terra infixum. Ad septentrionem majorem phosphorescentiam contemplatus est nubium neque semel sibi visus est

figuras obscuras in iis delineari. Tertio vero mane, primas lapidicinas onychinas aspexit hominesque salutavit ibi dolabris scalpbrisque operantes. Ante solis occasum lapidicinas undecim transiverat; tota plaga enim rupibus onychinis saxisque constrata erat, sine ulla planta arboreve, sed magnis tantum saxosis fragmentis per nigram terram dispersis, cum a dextera semper eminenter apices inexcuperabiles, nudi et funesti. Tertia nocte in fossorum castris pernoctavit, quorum foci tremuli imagines ominosas in rupes occidentales politas referebant. Et cantica multa cecinerunt et fabulas multas narraverunt, ita tam miram dierum priscorum divinorumque morum cognoscentiam demonstrantes ut Cartero perspicuum fuerit illis plures memorias latentes inesse genitorum suorum, Megistorum scilicet. Quo peteret percontati monuerunt ne nimis procul ad Boream iret; sed respondit se novas rupes onychinas quaerere neque plus quam exploratorum vulgus periclitaturum esse. Mane illis valedixit et ad Boream obscurantem perrexit ubi monuere eum inventurum esse lapidicinas timendas et invisitatas unde manus antiquiores quam manus humanae moles prodigiosas excavaverant. Sed fastidio ipsi fuit nimis cum incerte aspexerit, dum ut illos manu salutet respicit, mercatorem obesum et lubricum oculis obliquis, cujus commercium cum Leng supputatum fama agitabat in longinqua Dylath-Leen.

Post binas alias lapidicinas, visum est finem esse partis Inquanok habitatae atque via magis magisque angusta facta boum hirsutorum callis proclivus inter rupes nigras portentosasque evadebat. A dextera autem semper eminebant apices nudi ac longinqui, atqui quo magis procul ascendebat in regnum hoc intactum, eo obscurius et algidius fiebat. Mox animadvertit jam in terra nigra deesse pedum vestigia unguiumve atque intellexit se ad vias extraneas ac desertas temporis antiquioris re venisse. Interdum corvus procul supra crociebat vel alarum rumor pone saxum quodpiam auditus ipsi famosi grypis memorias molestas suscitabat. At plerumque solus erat cum hirsuta pecude sua atque animo commotus est cum adverterit bovem hunc egregium magis magisque gravate procedere, magis magisque timorose fremere propter qualemcumque strepitum, vel levem, inter viam.

Callis nunc inter muros fuscus atque nitentes contrahebatur et valde proclivior evadebat. Difficile processu erat atque bos hirsutus saepe fragmentis saxosis dense circum sparsis pedem offendebat. Tertia hora Carter ante aspexit cristam definitam, ultra vero non nisi caelum subnubilum et cinereum, itaque gavisus est quod mox cursum planum vel declivem secuturus foret. Attamen ad cristam procedere facile non fuit; callis nunc fere ad perpendicularum factus erat ac propter solutam glaream nigram calculosque periculosus. Denique Carter descendit bovemque haesitantem manu duxit; si forte animal obstaculo offendebat, id sedulo trahebat, cum ipse quoad posset pedem stabilire conaretur. Dein subito summum attigit ultraque intuitus admiratione captus est.

Callis quidem recta continuabatur aliquantumque declive, iisdem aliorum murorum lineis ac prius contentus, a sinistra vero spatium monstruosum hiabat, per ampla jugera extensum, ubi potestas aliqua pristina rupes onychinas nativas ita scinderat divelleratque ut ingentium lapidicinarum forma exstisset. Stria illa titanisca procul in rupe solida incisa erat atque profunde in terrae interioribus hiabant fossiones. Humanae lapidicinae omnino non fuerant, atque latera concava magnis quadratis amplisque quasi cicatricibus eruta erant quae indicabant massas olim manibus scalprisque innominatis excissas. Super marginem serratam corvi ingentes volitabant ac crociebant; incerta contorquentia in profundis invisis vespertiones vel Urhagas vel minus effabilia entia indicabant quae tenebras infinitas infestabant. Ibi stabat Carter in calle angusto cum semita saxosa inter crepusculum ante declivis continuaretur; altae rupes onychinae a dextera quoad videre poterat extendebantur atque altae rupes a sinistra praecipite interruptae erant ut lapidicinas has terribiles ac monstruosas formarent.

Inopinato bos hirsutus mugitum emisit ac de manu ejus fugit, saltu eum praeteriit pavoreque effrenato impulsus de clivo angusto ad boream se praecipitavit. Lapidem calcavit fugiens qui in lapidicinas ceciderunt inque obscuritate evanuerunt neque eos imum percutere auditum est; Carter autem callis tenuis pericula neglexit dum currens anhelitansque fugientem pecudem persequitur. Mox rupes priorem formam resumpserunt atque semita denuo fauces angustae facta est; et adhuc

viator salientes gradus ferebat post bovem hirsutum cuius vestigia late separata fugam perditam manifestabant.

Statim percepit quod putavit repercussum esse unguarum perterritae bestiae atque eo hortatus velocius processit. Passuum milibus currebat paulatimque callis latior a fronte fiebat donec adverterit se mox in Boreae solitudinem algidam metuendamque emersurum esse. Denuo aspiciebantur a dextera super rupibus latera nuda fuscaque apicum longinquorum inexcuperabilium; adversus saxa scopulique in spatio aperto jacebant quae certe praemonebant planitiem obscuram aridam immensam. Iterum vero auribus sonavit unguarum repercussus, priore clarius, sed nunc terrorem potius quam exhortationem animo instillabat cum animadvertisset eas perterritae fugientis bovis ungulas non esse. Brutam enim voluntatem manifestabat sonus, qui a tergo veniebat.

Carter, qui prius bovem hirsutum persequabatur, nunc rem invisibilem fugiebat, nam, cum retrospicere non auderet, percipiebat entitatem a tergo venientem nihil esse posse sanum vel plausibile. Procul dubio id audiverat prius bos vel perceperat, ipsum vero pigebat reputare utrum id ex plagis ab hominibus habitatis se secutus esset an e lapidinarum nigro puteo emersisset. Interea jam rupes praeteriverat, itaque super magnam arenarum saxorumque phantasmaticorum vastitatem nunc noctescebat ubi peribant omnes semitae. Bovis hirsuti vestigia discernenda non erant, at pone jugiter audiebat unguarum clangor detestabilis, cui interdum miscebantur quae in ipsius imaginatione alarum jactationes pulsationesque titaniacae existebant. Infeliciter liquebat eum cursu cedere dum patet se desperanter perivisse in hac solitudine diffracta exsecrataque inter saxa sine sensu arenasque intactas. Apices longinqui atque inexcuperabiles tantum a dextera sibi aliquatenus viam monstrabant, quamquam nunc minus clare eminebant, deficiente crepusculo morbideque phosphorescentibus nubibus incedentibus.

Dein in borea a fronte vespascente, subobscuram atque nebulosam aspexit rem, eandemque horrendam. Paulisper eam putaverat montium nigrorum iugum esse, nunc vero vidit aliquid majus existere. Nubium incubantium phosphorescentia id clare revelabat, cum partes etiam delinatae essent, lucescentibus pone vaporibus. Quanto

distaret ambiguum erat sed patebat valde procul fuisse. Altum erat milibus pluries pedibus ac magno arcu se extendebat ab apicibus cinereis et inxsuperabilibus ad spatia occidentalia inimaginabilia. Olim quidem iugum fuerat ingentium collium onychinarum, nunc vero colles esse desiverant, cum manus quaedam humanis manibus major eas tetigisset. Silentes subsidebant in summo mundo perinde ac lupi lamiaeve, nubibus caliginibusque coronatae, secretaque borealia in perpetuum custodientes. Semicirculo subsidebant montes canini illi excisi in statuarum monstruosarum vigilantium forma, quarum manus dextrae levatae hominibus minabantur.

Certe nubes micantes propter earum capita duplicia mitrataque movere videbantur, sed cum Carter haesitanter procederet, a mitrarum recessibus oriri aspexit formas magnas quarum motus oculorum error non erant. Formae alatae ac trepidantes continuo majores fiebant atque viatori patuit jam finem fuisse itineris sui ancipitis. Neque aves neque vespertiones existebant quales in terra Oniriave noti erant, nam elephantibus majora capita equina habebant. Constabat eos esse grypes malae famae jamque certus factus est Carter quorum malignorum custodium excubiarumque innominandarum causa homines solitudinem saxosam borealem vitarent. Et cum fato suo acquievisset gradumque stitisset, tandem ausus est retrospicere, ubi demum mercator oboesus oculis obliquis, malevolo omine adridens, in bove hirsuto maceroque equitans secum grypum perversorum gregem ducens, quorum alae adhuc gurgitum infernalium nitri sulphurisque redolebant.

Cum incubi fabulosi, hippocephali, volucres ipsum illaquearent circulisque insanis premerent, Randolphus Carter animo non defecit. Alta horrendaque antefixa titaniaca ei imminebant cum negotiator oculis obliquis a bove desiluit ac ante captivum maligne subridens stetit. Gestu Carterum jussit foedarum avium unam conscendere eumque in eo adjuvavit, cum ipsius prudentia odio repugnaret. Non sine molestia conscendit, nam gryps pro pennis squamas habet valde lubricas. Postquam assederat, vir oculis obliquis pone assiluit bovemque macerum dimisit quem ad septentrionem, ad excisarum montium circulum versus, duxit unus ex incredibilibus colossis aviariis.

Mox turbone horrendo spatium algidum pervolaverunt, jugiter altius ad orientem versus nuda cinereaque latera petentes montium inexsuperabilium quos ferebatur ultra sitam esse Leng. Alte super nubes volabant donec infra jacerent apices fabulosi quos Inquanok incolae numquam viderant, cum in altibus nebulae fulgentis vorticibus laterent. Carter eos plane intuitus est infra transeuntes inque summis cacuminibus speluncas miras aspexit earum similiores quas in Ngranek viderat; sed raptorem suum eas non percontatus est cum advertisset tum virum cum grypem hippocephalum eas mirum in modum timere videri, nam magna cum diffidentia trepidi eas praeterierunt, neque relaxa est eorum sollicitatio manifesta donec speluncas procul retro reliquissent.

Gryps nunc minus alte volabat itaque sub nubium linteo revelata est planities cinerea ac sterilis ubi multo inter se distantes ignes tenues lucebant. Cum descenderent interdum apparebant tuguria granitica solitaria vicique lapidei lugubres quorum fenestrae perexiguae luce pallida micabant. A tuguriis autem vicisque orientes tibiarum fremor acutus crotalorumque taeter crepitus actutum demonstraverunt Inquanok incolarum rumores geographicos falsos non esse. Nam viatores tales sonus ante audiverant, noverantque a deserti algidi oropedio tantum oriri quem homines mente sani numquam visant, ab illo nempe loco malis mysteriisque infestato Leng.

Circum ignes tenues tripudiabant formae atrae ac Carter curiose secum reputabat quod entium genus esset; nam nullus homo mente sanus umquam in Leng fuerat nihilque hujus loci notum nisi ignes tuguriaque lapidea eminus aspecta. Formae pertarde atque inepte saltabant, dementer se torquentes flectentesque improbe, adeo ut Carter adverterit non sine causas esse mala monstruosa de eis famâ incertâ relata timoremque in tota Oniria conceptum oropedium gelidum horrendumque erga. Cum inferius volaret gryps, saltatorum foeditati paulatim familiaritas quaedam formidolosa miscebatur atque captivus oculos strenue intendens memoria assidue repetebat loca ubi prius tales creaturas videre potuisset.

Saltitabant enim quasi eis ungulae pro pedibus essent, capita earum corymbiis vel mitris tecta esse videbantur cum cornubus parvis.

Ceterum vestes nullae erant, sed nonnullae admodum pilosae existebant. Dorsis caudae pusillae appositae erant ac ubi cervices levaverunt, buccarum earum nimiam amplitudinem aspexit. Statim quid essent scivit, easque neque corymbia neque mitras demum induere. Nam Leng populus crypticus unius ejusdemque generis erat ac negotiatores molesti qui triremibus atris carbunculos mercabantur Dylath-Leen, negotiatores isti subhumani qui servi existebant monstruosorum negotiorum lunarium ! Ipsi erant atri homulli qui Carterum in triremes suas nauseosas diu pridem vi abduxerant, quorumque pares viderat gregatim agi per crepidines maledictae urbis lunaris immundas, cum exiliores laborarent, pinguiore vero caveis, ut herorum multipedum informiumque alias necessitates sustentarent, deportarentur. Nunc videbat unde tales creaturae ambiguae orirentur et tremule reputabat istas abominationes infectas lunares verisimiliter Leng novisse.

Sed gryps ignes tuguriaque lapidea saltatoresque subhumanos praetervola-verunt, necnon cinereae granites colles steriles atque obscuras saxorum, glaciei, nivium vastitates. Prima lux fuit atque nubium humilium phosphorescentia mundi boreali diluculo caliginoso cessit, cum avis ignobilis pertinaciter trans algum silentiumque adhuc volaret. Interdum vir obliquis oculis pecudem loquela odiosa ac gutturali alloquebatur, cui gryps vocibus stridulis respondebat aequae ac vitrum contritum dissonis. Interim alta fiebat regio, denique ad paramum venerunt ventis verberatum quod mundi devastati inhospitique cacumen evadebat. Ibi in silentio solitario crepusculoque et algore erecti erant rudes aedificii crassi sine fenestris lapides, quod cippi rustici circum amplectebantur. Nihil humani in hac instructione fuerat atque a fabulis veterrimis coniecit Carter se demum ad illum omnium horridum fabulosumque locum venisse, ad monasterium scilicet remotum antequae hominum memoriam aedificatum ubi solitarius habitabat Sacerdos Maximus Non Describendus, cujus vultum persona serica croceaque tegit quique Deos Alienos colit illorumque chaos reptans Nyarlathotep.

Avis foeda tunc terram tetigit atque vir oculis obliquis ad pedes desiluit captivumque descendere adjuvavit. Nunc vero Carter pro certo habebat raptus sui causam, cum mercator oculis obliquis agens nimirum esset potestatum obscuriorum qui averet heris suis mortalem tradere

impudentem cupientemque ignotam Cadath invenire et praecem ante Megistos in castello illorum onychino dicere. Verisimile fuerat mercatorem istum olim curavisse raptum sui negotiorum lunarium servis Dylath-Leen perpetrandum, nunc vero velle id perficere quod catti prohibuerant; ut scilicet praedam ad taetrum congressum cum Nyarlathotep monstruoso ferret istique audaciam patefacere qua ignota Cadath quaesita esset. Tum Leng cum vastitas algida quae ad Inquanok boream jacet Dis Alienis claudi debet ibique Cadath aditus bene custodiuntur.

Pusillus quidem erat vir oculis obliquis, sed magna avis hippocephala aderat ut jussa ejus oboediretur; itaque Carter quo ducebatur secutus est perque cipporum erectorum circulum et portam arcuatam humilem monasterium lapideum sine finestrīs intravit. Intus lux non erat, sed mercator malevolus lychnion fictile accendit imaginibus morbidas incisum captivumque egit per faucium anfractuosarum labyrinthum. In faucium parietibus prospectus terribiles dipicti erant ante hominum memoriam rerum, quarum imaginum structura archaeologis terrestribus ignota erat. Post tam innumeranda aeva adhuc fulgebant pigmenta, nam horrendae Leng algor siccitasque multas res pristinas praeservabant. Carter subobscure lucente lychnio moventeque imagines fluctuanter aspexit tremuitque cum vidisset qualia enarrata essent.

Ex antiquis operibus his udo illitis emanabantur Leng annales; semihomines cornuti, ungulati, buccosi maligne saltabant inter urbes in oblivione delapsas. Depicta erant bella vetera, ubi Leng semihomines vallium proximarum araneas pupureas tumidasque pugnabant; etiam depictae erant triremes atrae a luna venientes, necnon deditio Leng populi blasphemis multipedibus informibusque quae e navibus se obscene torquentes egrediebantur. Blasphemia ista lubrica atque livida tamquam deos adorabant neque umquam conquerebantur cum mares optime saginati viceni ad triremes atras ducerentur. Monstra lunaria castra muniverant in insula serrata in mari, atque ex opere udo illito Carter animadvertit eam aliam non esse quam scopulum solitarium et innominandum quem inter navigationem ad Inquanok aspexerat, illum nempe scopulum maledictum quem vitant Inquanok nautae, unde per totam noctem resonabant ululatus vilissimi.

Etiam in operibus udo illitis depictus erat magnus portus, semihominum caput urbs, columnas inter cautibus instructas crepidinesque basalticas superba, propter fana excelsa plateasque sculptas mirabilis. Horti lati et porticus a rupibus portisque senis sphingibus coronatis ad amplum forum medium ducebant, quo in foro stabant bini leones volucres colossi qui summos gradus subterranei aditus custodiebant. Saepius depicti erant leones volucres illi, quorum fortia latera marmorea inter diurnum crepusculum cinereum nubilamque phosphorescentiam nocturnam micabant. Cum Carter imagines saepe repetitas transiret, denique quae fuissent advertit, quam scilicet urbem rexissent semihomines diu pridem ante quam triremes atrae venissent. Nullus erat erroris locus, nam Oniriae legendae largiter et profuse de ea monebant. Procul dubio prisca urbs alia non erat quam Sarcomanda historiata illa, cujus ruinae per milies milia annorum expositae jacuissent ante quam primus homo verus oriretur, cujusque leones gemelli ingentes in perpetuum gradus custodiebant qua ab Oniria ad Magnam Abyssum descendebatur.

Aliae picturae apices cinereos nudosque ostendebant quibus Leng ab Inquanok divisa erat, grypesque monstruosos qui nidificabant in praeruptis liminibus. Ostendebant quoque speluncas curiosas prope ad summa cacumina grypumque detestationem, qui eas clamantes volatu vitabant. Carter tales speluncas nuper praetervolaverat animadverteratque eas similes esse Ngranek speluncarum. Nunc intellegebat casu similes non esse, cum imaginibus depicti erant earum horrendi incolae; neque ipsi ignota erant vespertilionum alae, cornua curvata, caudae hamatae, tentacula prehensilia, corpora gummica. Creaturae istae silentes, volitantes, vellicantes prius sibi obviam factae erant, custodes scilicet amentes Magnae Abyssus quas ipsi Megisti metuunt et quae non Nyarlathotep sed Nodentem canum sibi dominum agnoscunt. Nam horrendae empusae erant, quae numquam rident subridente vultu omnino carentes et sine fine volitant in tenebris inter Vallem Pnath aditusque ad mundum exteriorem.

Mercator oculis obliquis jam Carterum egerat in amplam aulam fornicatam cujus parietes imaginibus obscenis incisi erant, inque medio patebat puteus latus quem circumdabat sex ararum lapidearum dire

maculatarum corona. Crypta foetida luce carebat atque mercatoris sinistri lychnion adeo tenuiter lucebat ut minutim tantum singula dispicerentur. In extrema aula erat suggestum altum gradibus quinque munitum ibique in throno aureo sedebat figura stolidâ eademque stolâ croceâ rubroque praetextâ amicta cujus vultum persona serica crocea tegebat. Cui entitati vir oculis obliquis manu signa quaedam dedit atque latitans in tenebris iste ut responderet tibiam eburneam foede incisam produxit subque persona crocea fluctuante sonus quosdam nauseosos cecinit. Colloquium aliquantisper continuatum est ; Cartero vero aliqua morbida familiaritas tibiae in voce locique foetore inerat. His memor factus est urbis cujusdam rubro lumine lustratae pompaeque abominatae quae olim per eam processit, ascensionisque ultra campos lunares antequam succursu venerint Terrae catti amici. Pro certo habuit creaturam in suggestu Maximum Sacerdotem Non Describendum existere, de quo legendae susurrant tanta daemoniaca nefariaque, sed veritus est ipsum reputare quis esset Sacerdos Maximus iste.

Tunc manica serica aliquantulum e membro livido delapsa est atque novit Carter quis esset Sacerdos iste taeter. Quo in momento abominando merus pavor ipsi audaciam instinxit quam ratio numquam suadisset, nam conscientia ejus perturbata unum tantum furiose spectaret, ut fugeret scilicet negotium in throno aureo subsidens. Cum novisset labyrinthos lapideos desperanter ipsum separare ab oropedio exteriori algido, inque ipso oropedio adhuc insidiari noxium grypem, tamen una in mente dominabatur praesens instansque necessitas monstruositatem sericis amictam seque torquentem fugiendi.

Vir oculis obliquis lychnion mirum in ara quadam alta atque dire maculata posuerat ad puteum ut aliquantum se promoveret ad manibus cum Sacerdote Maximo loquendum. Carter, qui hucusque omnino iners fuerat, pavoris ferali vi propulsus extemplo virum adeo violenter repulsit ut victima ictu in puteum patentem delapsus sit qui fertur ad fornices infernales Zin pervenire, ubi Gugi in tenebris formidines venantur. Simul propemodum ab ara lychnion arripuit atque in labyrinthos imaginibus udo illitis ornatos cucurrit, huc illucque casu ductus fugiens dum conatur mente non fingere membra informia furtive

lapides a tergo calcantia neque torquentia ac reptantia in faucibus sine luce.

Interposito autem aliquo temporis spatio, ipsum paenituit inconsideratae properationis, cum maluisset retrorsum imagines udo illitas sequi quas intrans viderat. Quamvis confusae fuissent duplicataeque neque magno profuturæ, tamen eas temptare debuerat. Quas autem nunc videbat vel horribiliores erant quam priores, idcirco patuit se exitum versus non gradi. Paulatim certus factus est secutores non esse passumque aliquantum remisit; vix autem animo semilevato respiravit cum novum periculum ipsi imminuit. Nam lychnion gradatim deficiebat, mox tenebrae eum comprehensurae erant neque quo tenderet caecus habiturus erat.

Cum lux omnino defuit, pedetemptim in tenebris processit, dum Megistos praecatur quatenus adjuvare possent. Interdum percipiebat pavementum lapideum sive declive sive acclive fieri atque semel gradui offendit qui sine causa existere videretur. Quo longius ibat eo humidius fieri videbatur atque si forte manu compitum temptare poterat vel hiantem cuniculum lateralem, semper viam eligebat quae minus declivis erat. Tamen aestimavit cursum descendentem tenere, et odor fornicum similis et crustae unctae tum in parietibus cum in pavimento monebant ipsum in profundo Leng paramo pestiferae penetrare. Sed nulla fuit praemonitio ejus quod novissime evenit, nisi ipse eventus comitantibus terrore, concussione, chao, stupore. Primum tarde pavementum loci fere aequi temptabat, atque statim praeceps delabebatur in tenebris per cuniculum propemodum verticalem.

Quamdiu delapsus horribilis continuaretur pro certo numquam habuit, sed sibi visus est horas in nausea delira exstasique furiosa degere. Dein animadvertit se constitisse, cum noctis borealis nubes phosphorescentes morbide supra lucerent. Circum erant muri ruentes columnaeque fractae atque pavementum ubi jacebat perfodebant herbae dispersae frangebantque frutices ac radices frequentes. Pone ipsum ad perpendicularum surgebat rupes basaltica excelsissima, cujus latus obscurum imaginibus iniucundis incisum erat ubique hiabat

aditus arcuatus exsculptusque ad tenebras interiores unde ipse venerat. Ante extendebantur bini pilarum ordines pilarumque fragmenta podiaque quibus revelabatur ibi olim fuisse viam latam jam oblitteratam atque urnae et labra juxta viam posita indicabant eam plateam inter hortos fuisse. Ab extrema regione pilae latius inter se distabant ut amplum forum circumscriberent in quo medio circulo taetre sub nubibus luridis par eminebat negotiorum monstruosorum. Ingentes leones volucres existebant, idemque marmorei, ac inter eos obscuritas et umbra jacebat. Pedibus plane viginti eorum capita intacta absurdaque exstructa erant et ruinas circum se grunnientes deridere videbantur. Bene Carter scivit qui essent, nam legendae de uno tali pare referunt. Erant scilicet custodes immutati Magnae Abyssi, ac ruinae atrae illae videlicet prisca Sarcomanda.

Primum omnium Carter massis fragmentisque variis quae circum jacebant aditum obstruxit, cum nollet Leng monasterii odiosi persecutores inde scatere; satis enim superque in via manerent alia pericula. Qua vero Sarcomandâ ad Oniriae regiones inhabitatas transeundum esset omnino ignorabat, neque expediret ad lamiarum antra descendere, cum novisset eas de his certiores quam ipsum non esse. Tres lamiae enim quae eum adjuvaverunt ut Gugorum oppidum ad mundum exteriorum transiret nesciebant qua via Sarcomandam redeuntes peterent, sed propositum habebant negotiatores veteres in Dylath-Leen percontari. Fastidiebat denuo in mundum subterraneum ire periculumque renovare turris infernalis Koth cujus gradus gigantei ad nemus incantatum ducebant, attamen fieri poterat ut, omnibus aliis vanis evasis, necesse hunc cursum temptaret. Per Leng paramum ultra monasterium solitarium sine auxilio procedere non audebat, cum multi procul dubio essent Sacerdotis Maximi emissarii inque fine tractandi forent grypes vel alia negotia. Quod si navem conscendere posset, ad Inquanok navigare liceret praeter scopulum marinum ac serratum, cum imagines udo illitae monstrabant locum istum tremendum haud procul esse a Sarcomandae caeis basalticis. Sed in hac urbe per aeva deserta ipsum navem repperire veri simile non erat, neque ipse umquam fabricare posset.

Talia secum reputabat Randolphus Carter cum novum perceptum animum movit. Interim enim ante ipsius oculos se extenderat fabulosa Sarcomanda perinde ac cadaver amplum, cujus nigrae pilae fractae, portae sphingibus coronatae, lapides titanici, leones volucres atque monstruosi in nubium nocturnarum phosphorescentia discernebantur. Nunc autem procul a dextra regione lumen aspiciebat cujus causa nubes esse non possent, atque advertit se in urbe mortua solum non existere. Lumen autem modo augescebat, modo decrescebat, ejusque inconstans viriditas spectatorem minime placabat. Cum propius reptavisset per viam fragmentis stipatam perque murorum derutorum rimas angustas, repperit ignem castrensem ad crepidines prope instructum, quem obscure circumibant formae incertae, cum foetor letalis omnibus graviter impenderet. Ultra portus aquae oleosae navem in ancoris stantem lambebant atque terror rigide Carterum perculit cum vidit navem unam demum esse triremium nigrarum a Luna venientium.

Cum vero a flammis odiosis se reversurus esset, in formis atris incertisque commotionem aspexit et vocem singularem atque manifestam; vagitus erat lamiae paventis, qui actutum contentus dolorosus factus est. Cum secure in ruinis monstruosis lateret, Carteri timor curiositati cessit ipseque potius quam regrederetur, reptans procedere coepit. Modo, cum plateam transire debuerit, perinde ac vermibus ventre se torsit, modo, ne strepiteret marmor acervatim derutus, pedibus stetit. Sic jugiter indeprencus progredi potuit donec mox locum invenerit pone pilam titaniacam unde conspectum flammis viridibus illuminatum totum spectaret. Ibi circum ignem horridum cujus fomes fungorum lunarium stirpes invisi erant, circulus bestiarum lunarium bufonum similarium foetide subsidebat cum servis suis semihominibus. Nonnulli servorum lanceas ferreas miras flammis salientibus calefaciebant atque interdum cuspides candefactas tribus captivis arte devinctis adhibebant qui ante duces jacebant seque torquebant. Temptacula agitata Cartero indicabant bestias rostris obtusis spectaculo immaniter delectari at ingenter ipse horruit cum statim vagitum dementem recognovit: excruciatas lamiae scilicet aliae non esse quam ternae illae fideles quae ipsum duxerant incolumem ex abyso posteaque

a nemore incantato profectae Sarcomandam petiverant portamque ad patrios gurgites.

Permultae bestiae lunares foetidae ignem viridescentem circumsedebant atque constabat nihil agere posse Carterum ut priores socios servaret. Nec liquebat quomodo lamiae captae essent, sed coniecit bufones nefandos eas audivisse cum viam Sarcomandam rogarent neque voluisse eas odiosum Leng paramum Sacerdotemque Maximum Non Describendum nimis appropinquare. Paulisper de agendis secum reputavit ac recordatus est prope esse portam ad lamiarum atrum regnum. Constabat prudentioris esse ad binorum leonum forum repere, unde continuo ad gurgitem descenderet, ubi obviam facturi horrores procul dubio supernis majores non essent atque citius lamias inveniret quae libenter pares suas salvarent necnon forte bestias lunaries a triremi nigra extirparent. Neque immemor fuit empusarum gregum quae et portam hanc, sicut alios aditus ad abyssum, custodire possent, at istas creaturas sine vultu jam non timebat, cum novisset eas cum lamiis foedera sanxisse et lamia quae quondam Pickman fuerat ipsum docuerat qui tesseram quam intellegerent eae emitteret.

Ex integro Carter reptationem silentiosam per ruinas repetere debuit, lente petens magnum forum medium leonesque volucres. Qui labor non sine periculo quidem erat, sed bestiae lunares avocamento suo delectabantur neque leves strepitus audivere quos bis forte fecit inter lapides dispersos. Tandem in locum apertum venit et caute per arbores retorridas vitesque ibi cretas processit. Leones giganti terribiles ipsi imminebant in nubium nocturnarum morbida phosphorescentia, sed pro virili sua parte ad eos pertinaciter progressus circum eorum vultus repsit, cum novisset in latere inventurus esse tenebras formidabiles quas custodiunt. Pedibus decem distantes subsedebant bestiae marmoreae vultibus deridentibus, quae in podiis cyclopiis incubabant horrendis imaginibus excisis. Inter eas erat area tessellata cujus medium spatium olim cancelli onychini circumdederant. In medio vero puteus niger patebat atque statim vidit Carter se demum ad abyssum hiantem venisse cujus gradus crustati mucidique ad incuborum cryptas descendebant.

Terribilis est atri descensus memoria, cum horae frustra praeterirent dum Carter caece et indesinenter scalarum spiram lubricam

sequitur et arduam. Adeo contriti angustique erant gradus atque terrae interioris exsudatione uncti ut viator semper vereretur ne actutum in ultimos gurgites praeceps expiransque caderet ; neque noverat quando quove modo empusae custodes extemplo sibi insilirent, dummodo ullae in hoc aditu pervetusto vigilarent. Circum undique gurgitum infernorum foetor exsistebat atque advertit ipse horum profundorum aerem hominibus non congruere. Temporis diuturnitate torpescebat soporus, cum magis impulsu automatario moveretur quam propria Minerva rationeque ; neque ullum animadvertit cum omnino movere desiit dum aliquid ipsum a tergo silenter arripit. Iam pervelociter aere volabat ante quam titillatio malevolens moneret empusas lascivas officio suo perfunctas esse.

Compos sui factus cum intellexerit se volitantium creaturarum sine vultu brachiis frigidis humidisque captum esse, Carter lamiarum tesseram vocalem recordatus inter ventos volatu citatos eam quoad potuit sonore emisit. Cum feratur empusas amentes esse, id tamen continuo valuit, nam extemplo cessaverunt titillationes et creaturae cito captivum commodius disposuerunt. Sic animo reffectus Carter aliquantum rem explicare ausus est et retulit tres lamias a bestiis lunaribus captas tormenta pati atque manum convocandam esse quae iis succurreret. Cum mutae sint empusae, tamen dicta intellegere visae sunt ; idcirco majorem properationem et firmitatem volatu manifestaverunt. Subito tenebrae densae crepusculo terrae interioris cinereo cesserunt atque planities sterilis patuit ejus generis ubi lamiae libenter subsident et rodunt. Lapides sepulchrales dispersi atque ossum fragmenta loci incolas indicabant ; cum Carter alta voce vagitum urgentem emisit, e multis cuniculis vomiti sunt habitantes scortei caninique. Empusae nunc demissus volabant, ascensoremque pedibus stantem deposuerunt et postea aliquantulum secessunt gibbosaeque in semicirculo humi sederunt cum lamiae advenam salutarent.

Carter catervae monstruosae nuntium cito et clare emisit atque earum quatuor statim per cuniculos diversos ad nuntiata propaganda profectae sunt ut quoad inveniri possent copias congregarent recuperationis causa. Postquam diu expectatum erat, venit lamia aspectu gravior quae empusis signis fecit, qua de causa duae in tenebras

evolaverunt. Posthac empusarum gregi gibbosae in planitie jugiter accessum est donec solum mucosum propter empusas fere nigrum factum sit. Interim lamiae integrae e cuniculis singulae erepebant, omnesque voces volubiles emittebant dum agminis ordinem instituunt rudem prope ad congregatas empusas. Nec mora apparuit lamia superba et potens quae olim fuit Ricardus Pickman artifex Bostoniensis eique Carter loquela volubili eventorum narrationem accuratam emisit. Pickman quondam ille laete denuo amicum veterem salutavit satisque obstupefactus cum aliis ducibus a turba crescente paulo secessus colloquium gessit.

Curiose inspecto agmine, congressi duces denique unanimi vagitus emiserunt atque vocibus volubilibus lamiarum empusarumque turbas jusserunt. Continuo cornutarum volatilium manus satis ampla evolavit, cum remanentes binae congregientes flexis genibus bracchiam extenderunt dum singulas lamias opperiantur. Cum lamia quaedam ad binas empusas assignatas veniret, extollebatur et in tenebras avehebatur, donec turba tota demum abierit, exceptis Cartero, Pickman ducibusque aliis necnon aliquoties binis empusis. Monuit Pickman empusas lamiarum primum agmen esse earumque equos militares, atque exercitum Sarcomandam aggredi ut in bestias lunares incumberent. Dein Carter lamiarumque duces ad jumenta opperientia venerunt atque ipsos manus humidae lubricaeque sustulerunt. Nec mora omnes in ventis tenebrisque rotabantur; sine fine sursum sursumque ad lionum volucrum portam adque priscae Sarcomandae ruinas phantasmaticas vehebantur.

Diu interposito tempore, cum Carter iterum Sarcomandensis caeli nocturni morbidum lumen aspexit, simul vidit lamias militantes empusasque forum medium celebrantes. Mox, tu certum ipsi erat, lucesceret, sed adeo amplius erat exercitus ut necesse non esset in hostem incautum incidere. Ad crepidines adhuc debilis flagrabat ignis vididescens, cum exsincti lamiarum vagitus indicarent captivorum tormenta interim cessare. Vocibus volubilibus jussa equis atque empusarum sine ascensoribus gregi susurravere lamiae ac statim earum ampla agmina in gyrum orta sunt, quae super ruinas taetras ad flammam maleficam volavere. Carter nunc juxta Pickman in primo

lamiarum agmine erat et vidit, cum castra foeda appropinquarent, bestias lunares omnino imparatas esse. Captivi tres prope ignem vincti inertesque jacebant, cum captores bufonum similes sine ordine circum dormitarent. Servi semihomines somno se tradiderant, cum ipsae excubiae officium negligerent quod procul dubio in hac provincia supervacaneum aestimarent.

Empusarum lamiarumque ascensorum ultimus impetus perquam subitus fuit, cum singula monstra batrachoidia necnon eorum servos semihomines rapuerit empusarum manus quaedam antequam vox emitti potuerit. Bestiae lunares scilicet mutae erant, at ipsis servis exclamandi tempus defuit cum tentaculis cummiceis suffocati ad silentium coacti essent. Immunde se torquebant istae abnormales mollesque creaturae cum empusae sardoniae eas raperent, sed nihilo valebant in nigrorum bracchiorum prehendentium fortitudinem. Si forte violentius bestia lunaris quaequam contenderet, empusa ejus tentacula rosea tremulaque prave vellicabat, quod adeo nempe dolebat ut captiva certare desineret. Cum Carter aestimavisset magnas strages fore, repperit lamiarum propositum satis subtilius fuisse. Vocibus volubilibus empusis jussa simplicia emisissent quae captivos tenebant, ceterum earum naturae crediderunt; qua de causa creaturae infelices silenter ad Abyssum magnam delatae fuerunt, ut Dholis, Gugis, formidinibus aequae distribuarentur, necnon aliis tenebrarum incolis qui non sine excruciatibus victimas sibi selectas vorant. Interim lamias devinctas tres liberaverunt consolaveruntque socii victores, cum manus aliae circumjacentia scrutarentur si forte bestiae lunares manerent vel triremem atram foetidamque conscenderent ut comperirent omnes penitus victas esse. Victoria nimirum absoluta fuerat neque ullum viventium vestigium detexerunt victores. Cum Carter qui servare cupiebat quo Oniriae alia loca attingeret eas hortabatur ne triremem in ancoris stantem mergerent, votis libenter assensae sunt ut gratiam referrent de ternorum captivorum nuntio. In navi inventa sunt nonnulla ornamenta curiosissima quorum aliquot Carter statim in mare jacturam fecit.

Tunc lamiae et empusae se segregaverunt, illae vero socios modo salvatos percontatae sunt recentiora. Patuit tres Carteri consiliis paruisse

atque a nemore incantato, vestibus humanis in villula quadam solitaria surreptis, per Nir et Skin Dylath-Leen petivisse, cum ambulantes quoad possent accuratissime hominum gressum imitent. In Dylath-Leen tabernis earum vultus moresque insoliti multos rumusculos excitaverunt, at pertinaciter Sarcomandam viam percontatae erant donec viator inveteratus eas docere potuisset. Idcirco certiores factae sunt navem Lelag-Leng petentem tantum usui fieri posse atque consilium ceperunt patienter talem navem opperiri.

Sed speculatores malevolentes procul dubio multa detulerant, nam mox triremis nigra in portu appulsa est et carbuncolorum negotiatores oribus amplis lamias ad computationem in taberna invitavere. Vinum produxerunt ex lagoena quadam infausta monstruose ex uno carbunculo excisa, atque postea lamiae captivae in ipsa triremi nigra evaserunt ubi prius Carter fuerat. Nunc vero remiges invisibiles non ad lunam sed ad antiquam Sarcomandam navem direxerunt, cum manifeste captivos Sacerdoti Maximo Non Describendo ostendere cuperent. Scopulum serratum attigerant in mari boreali quem nautae Inquanok vitant ibique primum lamiae aspexerant navis heros rubros atque, cum ipsae durae essent, maligna istorum informitas foetorque horrendus iis fastidium movit. Ibi quoque batrachoidis praesidii innominanda oblectamenta viderant, quae oblectamenta origo fuerant ululatum nocturnorum quos timent homines. Dein navem ad Sarcomandae ruinas appulerant initiumque fuerat tormentorum a servatoribus modo interruptorum.

Postea nova proposita agitaverunt, cum lamiae tres recuperatae incursum praedicaret in insulam serratam et praesidii batrachoidis quod ibi morabatur eradicationem. Contra autem objecerunt empusae, quae volatum super aquas fastidirent. Lamiae pleraeque propositum probabant, sed sine empusarum volucrarum auxilio efficere dubitabant. Idcirco Carter, cum pateret eas triremem in ancoris stantem administrare non posse, se obtulit remigum transtrorum usum eas docturum, cui libenter assensae sunt. Iam caelum cinereum lucescebat atque sub hoc plumbeo caelo boreali lamiarum selectarum manus navem foetidam conscendit inque transtris consederunt. Carter censuit eas facilius discere atque ante noctem pluries navigia per portum temptaverat. Non ante diem quartum tamen ausus est navigationem bellicam inire. Bene

exercitis remigibus et empusis secure in prora reconditis, tandem vela dedit manus, cum Pickman ducesque alii in ponte congressi stratagemata disputarent.

Prima ipsa luce a scopulo ululatus auditi sunt, qui ita sonabant ut omnes nautici aperte tremuerint, sed omnium maxime tremuere tres recuperatae lamiae quae exploratum haberent quid demum ululatus hi significarent. Aestimatum est frustra fore incursum nocturnum, qua de causa navem constiterunt sub nubibus phosphorescentibus donec dies cinereus lucesceret. Ubi satis fuit lucis quieveruntque ululatus, remiges labores repetiverunt et triremis magis magisque scopulum serratum appropinquavit cujus fastigia granitica phrenetice caelum taetrum scalpebant. Scopuli latera perquam abrupta erant, at hic illicque in liminibus saxosis aspiciebantur mira habitacula sine fenestris parietibus tumescentibus, insuper cancelli humiles vias raedarias protegebant. Numquam adhuc navis hominum hunc locum attigerat; numquam dumtaxat hucusque pervenerat atque redire potuerat, sed Carter lamiaeque impavide tenorem servaverunt, latereque meridionali superato crepidines quaesiverunt quas recuperatae tres retulerant in portu insitas esse quem promontoria abrupta continebant.

Ab ipsa insula producta erant bina promontoria atque usque adeo inter se invicem vergebant ut in medio naves singillatim tantum transire possent. Videbatur nullum vigilem exterius esse, itaque triremis audaciter per fretum tenue directa est ultra ad portum putidum. Heic autem ubicumque magna industria discurrebatur; juxta formidabilem caiam lapideam naves nonnullae in ancoris stabant, cum sexcenties servi semihomines negotiaque lunaria in littore arcas capsasque tractarent vel monstra fabulosa et innominanda agerent carpentis tardis conjuncta. Oppidulum lapideum existebat e rupe super crepidines eminente excisum, unde via sinuosa ad altiora rupis limina ultra conspectum circumvolvebatur. Quid autem in prodigiosa hac rupe granitica abruptaque lateret nemo dicere posset, sed quae exterius aspiciebantur minime animos extollebant.

Triremem ineuntem cum viderunt turbae quae in crepidinibus stabant, alacritatem multam praebuerunt; qui oculos habebant in eam aciem intendebant, qui oculis carebant temptacula rosea avide

torquebant. Non adverterant nimirum manum alienam nunc navem gubernare, cum lamiae semihominum cornutorum unguulorumque similiores essent et empusae omnes infra invisibiles laterent. Interim duces consilium perfecerant: empusas scilicet emittere cum primum crepidinem attigerint, dein continuo navi discedere remque omnino creaturis his relinquere fere amentibus quae natura coguntur sua. Ita in scopulum ejectae volucres cornutae hae primum omnia viventia quae obviam sibi fierent rapturae essent, postea nullo alio impetu quam redeundi desiderio motae aquarum timorem obliturae citius ad abyssum volaturae essent, dum praedas foetidas secum per tenebras ad apta loca ferunt, unde perpaucae vivae emergere possent.

Lamia quae Pickman quondam fuerat tunc descendit empusasque simpliciter jussit, cum navis ad crepidines ominosas foetidasque maxime appropinquaret. Statim in littore nova perturbatio orta est atque Carter percepit triremis tenorem jam suspiciones excitavisse. Gubernator videlicet ad navale idoneum navem non direxerat et fieri potuit ut vigiles differentiam animadvertissent inter lamias deformes et servos semihomines quorum partes usurpaverant. Itaque ad arma fortasse silenter conclamatum erat, nam continuo fere negotia lunaria a domibus atris humilibusque sine fenestris catervatim egredientes per viam sinuosam a dextra descendere coeperunt. Cum triremis prora crepidinem percussit, matarae forma mirandae imbribus projectae sunt, quibus lamiae duae occisae sunt aliaque leviter vulnerata; at simul apertae sunt valvae ut emitterentur empusae quarum nubes atrae super oppidum circumfusae sunt quasi vespertilionum cornutorum giganteorumque examen.

Gelatinosa negotia lunaria longam perticam adepta navem invadentem repellere conabantur, sed cum empusae iis involaverunt, jam tales conatus desinendi fuere. Terribiles perquam visu fuere isti titillatores sine vultu gummeique oblectamentis suis vacantes atque spectatu horribiles nubes earum densae per oppidum se extendentes viamque sinuosam supra ascendentes. Interdum nigrarum volitantium grex quidam captivum batrachoidem forte demittebant atque victima humi dirumpiens tam oculos quam nares offendebat. Postquam empusa novissima e triremi exiverat, lamiarum duces voce volubili recipiendi

jussum emiserunt et remiges quiete a portu inter promontoria cinerea recesserunt, cum in oppido pugnae proeliaque efferverent.

Lamia cui nomen Pickman fuerat horis aliquot morata est donec empusae animis rudibus statuerint aequoris timorem superare ; idcirco jussit triremem passibus circiter mille manere a scopulo serrato cum exspectaret vulneratosque sanaret. Nox fuit et crepusculum cinereum phosphorescentiae nubium humilium morbidae cessit ; interim duces scopuli maledicti alta observabant utrum evoluturae essent empusae. Ad mane macula nigra aspecta est super pinnaculum summum volitantem, nec mora macula examen facta est. Paulo ante lucem examen visum est diffugere atque inter quadrantem omnino ad aquilonem evanuerat. Haud semel visum est aliquid a denso examine in mare cadere, sed de hoc Carter non curabat, nam expertus noverat bestias lunares batrachoides natere non posse. Cum tandem lamiae pro certo habuissent empusas omnes Sarcomandam petivisse Abyssumque Magnam onus condemnatum secum ferentes, triremis inter promontoria cinerea ad portum rediit et manus deformis tota descendit atque curiose per scopulum nudum spatiabatur cujus turres, speculae, arcae e saxo solido excisae erant.

Horrenda fuere secreta in antris istis maleficis sine fenestris detecta ; nam multae erant oblectamentorum infectorum reliquiae quae gradus varios mutationis a pristino statu ostendebant. Carter nonnulla negotia interfecit quae adhuc aliquo modo vivebant, at praeceps alia fugit de quibus certe judicare non potuerat. Aedes foetore repletae plerumque scamnis sedeculisque instructae erant ligno lunari confectis intusque imaginibus innominabilibus et phreneticis ornatae. Innumerata arma, instrumenta, ornamenta circumjacta erant, necnon idola nonnulla ex solido carbunculo facta entitates singulares dipingentia quae in terra hac non invenirentur. Quae, quamvis pretiosa fuerit eorum materia, neque cupiditatem neque inspectionem invitabant et Cartero minime molestiae fuit ex iis quinque malleo minutim frangere. Mataras lanceasque dispersas collegit et, probante Pickman, in lamias distribuit. Talia instrumenta caninis claudicatoribus nova existebant, sed cum simpliciora usu essent, breviter instructae citius tractare didicerunt.

Rupis partes superiores plura templa quam domus continebant atque in multis conclavibus excisis repertae sunt horrendae arae sculptae et fontes dubiose maculati et sacella ubi negotia magis monstruosa colebantur quam di feri supra Cadath. Pone templum quoddam magnum se extendebat cuniculus humilis nigerque quem Carter procul intra rupem secutus est, facem manu tenens donec ad aulam cameratam venerit amplis mensuris atque obscuram cujus camera imaginibus demoniacis ornata erat tota inque medio hiabat puteus putidus sine fundo qualis fuerat in Leng monasterio horribili ubi solus meditabatur Sacerdos Maximus Non Describendus. Ultra puteum putidum in parte obscuriore discernere sibi visus est portulam aeneam mire excisam; quam vero incerta de causa aperire temuit vel etiam appropinquare, atque trans speluncam ad socios suos invenustos properavit qui cum tranquillitate neglegentiaque circumspatiabantur quas ipse sentire nequiret. Lamiae bestiarum lunarium oblectamenta infecta reppererant iisque secundum morem suum fructae erant. Insuper vini lunaris vehementis dolium invenerant quod ad crepidines devolvebant ut auferent eoque posterius ad legationes negotiationesque uterentur, quamquam recuperatae tres quae memores fuere quantum in se effecerit cum in Dylath-Leen essent, gregem monuerunt ne quid ejus vini gustarent. Carbuncolorum e fodinis lunaribus extractorum magna copia erat, seu rudia seu polita, in camera quadam prope ad mare, sed cum expertae essent lamia ea edibilia non esse, minime appetiverunt. Carter ullum auferre non temptavit, cum nimis novisset de iis qui ea effodierant.

Statim orti sunt vagitus excitati a crepidinum excubiis atque omnes scrutatores taetri, relicto officio negotioque, mare intueri coeperunt adque littus se congregare. Inter promontoria cinerea velociter adveniebant triremis nova atque mox proretae semihomines oppidum invasum animadverturi essent negotiaque monstruosa infra latentia excitaturi. Feliciter lamiae mataras lanceasque a Cartero distributas adhuc secum ferebant, illoque jubente et entitate quae quondam Pickman fuerat incitante, cito agmen instruxere impediturae quominus navem appellerent. Statim tumultus in triremi oriens indicavit nautas res novas observavisse, atque subitanea navis institio demonstravit eos lamiarum copiam superiorem clare respexisse. Aliquantisper dubitato,

advenae quiete proram verterunt et retro promontoria transierunt, at lamiae ne brevissime quidem censuere pugnam aversam esse. Aut navis nigra subsidia quaestura esset, aut nautae in aliam insulae partem egressuri essent; idcirco statim exploratorum manus ad pinnaculum missa est quae hostium cursum observaret.

Neque multo interposito tempore lamia anhelans rediit quae retulit bestias lunares semihominesque modo in promonteriorum rudium cinereorumque partem exteriorum maxime ad orientem spectantem egredi perque calles reconditos et limina saxosa quae vel ibex vix secure calcaret ascendere. Neque fere mora triremis denuo aspecta est, at perbrevis, trans fretum angustiorum. Dein continuo nuntius alter anhelans descendit ut monuerit gregem in promontorium alterum egredi, ambosque greges valde crebriores esse quam ut a triremis magnitudine excogitari posset. Ipsa navis, paucioribus unius agminis remis tarde promota, inter rupes transeuntem mox visa est, quae in portu putido institit quasi pugnam advenientem spectatura inque promptu mansura.

Interea Carter Pickmanque lamias in manus tres diviserant, quarum binae singula agmina invadentia offensurae erant tertiaque in oppido remansura. Priores binae statim saxos

ascendit ad jussam regionem, cum tertia deinceps in manum marinam terrestremque divisa est. Manus marina, ducente Cartero, triremem in anchoris stantem conscendit adque advenarum triremem paucis remigibus motam se vertit, quae vero per fretum ad altum rediit. Carter autem eam statim persecutus non est, nam noverat majori urgentiorique usui se ad oppidum fore.

Interea bestiarum lunarium semihominumque legio horrenda ad summa promontoria usque sine ordine ascenderant eorumque formae monstruosae in crepusculi caelo cinereo utroque delineatae erant. Invadentium infernales tibiae exiles nunc gemiscebant atque pompa ista hybridica fereque informis plerumque aequae nauseam pariebat ac foetorem quem bestiae batrachoides blasphemiaeque emittebant. Dein utraque lamiarum manus catervatim in conspectu venerunt et formis in caelo delineatis se miscuerunt. Matarae ex utraque parte injici coepere, cum

lamiarum vagitus augentes et semihominum ululatus bestiales gradatim tiliarum gemitui infernali miscerentur atque in tumultu ineffabili dissonantia daemonica evaderent. Interdum corpora ab angustis promontiorum culminibus cadebant in mare exterius vel in portum interiorem; heic vero citius ea infra sorbebant negotia sub mari spatiantia quorum praesentiam tantum indicabant bullae portentosae.

Per dimidiam horam duelli furor in caelo arsit, donec in rupe occidentali invasores funditus eradicati sint. In rupe vero orientali, ubi, ut patebat, bestiarum lunarium dux aderat, haud ita fauste lamiis evenerat, quae paulatim ad pinnaculi clives se recipiebant. Pickman continuo jussit ad frontem hanc subduci praesidia ex copia in oppido manente, quae magno auxilio fuerunt incipiente proelio. Postquam acta est pugna occidentalis, victores superstites ad socios oppressos adjuvandos properaverunt remque converterunt cum invasores ad promontorii culmen angustum repulsi sint. Semihomines jam omnes interfecti erant, sed ultima monstrorum batrachoidum desperanter pugnabant, lanceas longas membris fortibus taetrisque agitantes. Iam fere tamararum tempus non erat atque comminus certabant pauci lancearii qui in culmine angusto invicem occurrere possent.

Cum furor et trepidatio ingravescerent, permulti in mare delabebantur. Qui in portum ceciderant mortem innominandam gustaverunt invisibilium spumigerorum opera, qui vero in altum cadebant ad imas rupes natate poterant scopulosa attigerunt, cum hostium triremis eminus exspectans bestias lunares nonnullas salvaverit. Praeter loca ubi monstra egressa erant, rupes ascendi non poterant, idcirco nulla lamia in scopulosis jacens agmini se conjungi potuit. Aliquot occiderunt tamarae ex hostium triremi injectae vel a bestiis lunaribus supra emissae, sed nonnullae superfuere et servari potuerunt. Cum securae visae sunt copiae terrestres, Carteri triremis inter promontoria erupit hostiumque navem in altum procul repulit, interim lamias servans quae in scopulosis erant vel in mari natabant. Nonnullae bestiae lunares qui in scopulosis haerebant cito e medio sublatae sunt.

Denique postquam triremis lunaris procul remota erat et invasorum exercitus in locum unum reductus erat, Carter copias amplas

in promontorium orientale exposuit; dein certamen perbreve fuit. Ab utraque parte impugnati titubatores foetidi mox aut concisi sunt aut in mare depulsi, donec ad vesperam lamiarum duces in eo congruerint quod insula ex integro purgatam esse. Interim abierat hostium triremis atque consensus est ut maleficus scopulus serratus relinquendus esset ante quam monstrorum lunarium exercitus copiosior congregatus victores adgrederetur.

Itaque noctu Pickman Carterque lamias omnes congregaverunt easque accurate numeraverunt, ex quo patuit magis quam quartam earum partem in prioris diei pugnis obiisse. Vulneratae in triremis lectulis depositae sunt, nam Pickman jugiter inveteratum lamiarum morem dissuadebat proprios vulneratos occidendi et vorandi, atque copiae validae remis assignatae sunt vel cuivis officio quo aptissime fungi possent. Sub humilibus noctis nubibus phosphorescentibus navigavit triremis atque Carter sine maerore insulam reliquit secretorum pestilentium, cujus aula camerata sine lumine, puteus sine fundo, horrida porta aenea jugiter ejus animum inquietabant. Prima luce a navi aspecta sunt Sarcomandae caiarum basalticarum ruinae, ubi adhuc praestolabantur aliquot empusae excubiae, quae sicut nigra antefixa cornuta in illius urbis columnis fractis sphingibusque corruentibus subsidebant quae ante hominum memoriam vixerunt et perierunt.

Lamiae castra posuerunt inter rutos Sarcomandae lapides perque nuntium rogaverunt plures empusas mittendas quas conscenderent. Pickman aliique duces profuse Cartero gratias egerunt de auxilio quod sibi praebuerat. Nunc demum sentiebat Carter optime maturari coepta, cum jam liceret sociorum formidolosorum auxilio frui non solum ut hanc Oniriae partem relinqueret, sed etiam ut quaesitioni ultimae studeret deorum qui super ignotam Cadath erant et urbis solis occidentis mirabilis quae tam singulariter a somniis ipsius retinebatur. Idcirco de his cum lamiarum ducibus locutus est, retulitque quae noverat de frigida solitudine ubi insita est Cadath deque monstruosis grypibus deque montibus imaginibus bicipitibus incisus qui urbem custodiunt. De timore narravit grypum ab empusis deque modo quo ingentes aves hippocephalae clamantes fugiunt atros cuniculos in summis apicibus nudis cinereisque qui Inquanok ab odioso Leng dividunt. Quae de

empusis didicerat ab imaginibus udo illitis in monasterio sine fenestris Sacerdotis Maximi Non Describendi etiam narravit ; quod ipsi Megisti eas timerent neque iis praestaret chaos reptans Nyarlathotep, immo Nodens canus antiquissimusque, qui Abyssi Magnae dominus est.

Haec omnia vocibus volubilibus Carter lamiis congressis enarravit ac continuo rogationem fecit quam meditabatur neque immodicam aestimabat prae officiis quae modo modo claudicatoribus caninis cummeisque contulerat. Ait se sat empusarum velle quae ipsum per aerem trans grypum regnum montesque incisos secure ferrent sursumque ad antiquam vastitatem unde nullus alius mortalis redire posset. Cupiebat ad castellum onychinum super ignotam Cadath in vastitate algida volare ut supplex Megistos rogaret visendam solis occidentis urbem quam sibi negabant atque pro certo habebat empusas se illuc sine molestia ferre posse, supra planitiei pericula ultraque horrendas bicipites excubias in monte incisas quae perpetuo in crepusculo cinereo subsident. Nullum periculum terrestre creaturis cornutis sine vultu imminere potest, cum ipsi Megisti eas metuant. Etsi inopinata mittant Di Alieni, cum proni sint ad sese immiscendum in deorum terrestrium mitiorum negotia, nihil est quod timeant empusae, nam de infernis exterioribus parum curant volucres hae silentes et lubricae quae dominum non Nyarlathotep habent, sed pristino Nodenti potentique serviunt.

Decem vel quindecim empusarum grex, ut Carter vocibus volubilibus asseruit, satis esset ad quotvis grypum numerum submovendum, cum forsitan expediret in manu aliquot lamias esse quae creaturas tractarent, nam earum mores melius noverant lamiae sociae quam homines. Empusarum manus ipsum in locum idoneum depositura esset intra muros quales arx illa onychina haberet atque in tenebris mansura donec rediret vel signum mitteret cum in castellum iniret ut deos terrestres oraret. Quod si lamiae nonnullae se comitarentur ad Megistorum thronum usque, pergratum id haberet, nam earum praesentia supplicamentum suum gravius faceret. Id vero non instanter posceret, cum in primis vellet se ad castellum supra ignotam Cadath ferri indeque referri ; novissimum iter enim aut ad mirabilem solis occidentis

urbem spectandam foret, si di favissent, aut ad terrestrem Portam Somni Gravioris in Nemore Incantato, si preces steriles evasurae essent.

Carterum loquentem lamiae omnes maxime intentis animis auscultavere atque hora procedente empusarum nubes quas nuntii arcessiverant caelum obscuraverunt. Aequi volucres circum lamiarum exercitum in semiorbem constiterunt reverenterque praestolabantur cum duces canini viatoris terrestris optata considerarent. Lamiae quae Pickman quondam fuerat cum sociis graviter vocibus volubilibus locuta est, denique Cartero valde plus oblatum est quam ipse maxime exspectavisset. Cum lamiis in bestiis lunaribus devincendis subvenisset ipse, invicem ipsum adjuvaturae essent in itinere temerario ad regna unde nemo umquam redierat ipsique praebiturae essent non solum aliquot empusas socias, sed earum totum exercitum qualis nunc castra fecerat, ubi lamiae veteranae atque modo congressae empusae pariter aderant, excepto tantum praesidiolo quod triremem atram captam custodiret et praedam a scopulo serrato marino factam. Quandocumque vellet ipse per aerem proficiscendum esset et ubi Cadath perventum esset, lamiarum idoneum praetorium ipsum digne comitaturum esset cum petitionem suam dis terrestribus in castello illorum onychino faceret.

Inenarrabilem in modum pergratus et contentus Carter cum lamiarum ducibus de itinere audaci propositum agitavit. Consilium ceperunt exercitum alte volare super horrendum Leng et eius monasterium sine nomine et vicos lapideos maleficos, in apicibus magnis cinereisque consistere ut cum empusis collequerentur quae grypes terrebant quarumque cuniculi reticulatim culmina perforabant. Postea consilia qualia ex incolis his accepissent secuturos ultimum cursum statuturi essent: aut ignotam Cadath peterent per montium incisorum solitudines ad Inquanok septentrionem, aut per partes borealiores ipsius Leng horrendi. Caninae et sine anima lamiae empusaeque minime timebant quae revelare possent solitudines aviae illae, neque ullum metum iis inficiebat ipsa Cadath notio cuius castellum onychinum mysteriosumque ibi imminebat.

Circa horam meridianam lamiae empusaeque ad volandum se paraverunt atque lamia quaeque sibi equorum cornutorum par elegit a quo ferretur. Carter in primo agmine positus est juxta Pickman, quibus

antecedebant empusae sine equite acie duplici dispositae. Brevi vagitu a Pickman emisso, totus monstruosus exercitus sicut incubus nubificus super pristinae Sarcomandae columnas dirutas Sphingesque collabentes ortus est altius altiusque donec et magna rupes basaltica pone oppidum superata sit conspectuique patuerit planities algida et sterilis circum Leng. Altius etiam volavit exercitus niger, donec ipsa planities parva facta est infra atque, cum ad Boream procederent super horrendum paramum ventis verberatum, Carter denuo horrescens aspexit crudem cipporum circulum aedificiumque demissum sine fenestra quod noverat continere terrificum sacrilegium sericis larvatum cuius unguiculos tam aegre fugerat. Nunc vero nemo descendit cum exercitus tamquam versperitiliones super terram sterilem volaret focosque debiles ex alto praeteriret taetrorum vicorum lapideorum neque vel minime intensum est semihomines unguiculatos cornutosque morbide se torquentes qui perpetuo ibi saltabant tibiisque canebant. Semel grypem aspexerunt demisse super planitiem volantem, sed ubi eos aspexit ipse, perniciose emissa voce, ad boream fugae abjectae se dedit.

Iam obscura luce apices serratos cinereosque attigerunt qui Inquanok saepimentum existunt et ad speluncas mirandas prope culmina volitabant quas Carter meminerat grypes tam timuisse. Vagitu urgentibus lamiarum ducibus, a cuniculo quoque sublimi exierunt catervatim volucres cornutae nigraeque cum quibus diu deformibus gestibus collocutae sunt exercitus lamiae empusaeque. Mox inter omnes constitit optimum cursum esse super Inquanok vastitatem algidam, nam Leng regiones boreales perquam insidiosae sint, quas ipsae empusae oderint, cum exhalationes ex abyssu in aedificiis quibusdam hemisphaericis in collibus paraxenis insitis congregiantur, quae vulgus fabulis injucunde ad Deos Alienos eorumque chaos reptans Nyarlathotep adscribunt.

De Cadath vero apicum volitatores fere nihil noverant, nisi aliquid verisimiliter valde mirabile ad boream esse, quod grypes montesque incisi custodirent. Significaverunt abnormitates ingentes fama ferri ultra leugas invias atque rumores incertos retulerunt de regno ubi nox perpetua incubaret, sed definiti nihil dare poterant. Itaque Carter sociique iis benigne gratias egerunt et summa pinnacula grannitica in

Inquanok caelis transierunt, dein sub nubes nocturnas phosphorescentes descenderunt eminusque horrenda antefixa subsidentia aspexerunt quae montes fuerant donec manus quaedam titaniaca timorem in saxo integro incidisset.

Ibi in semiorbem infernalem coxim sedebant, pedibus in desertorum arena positis mitrisque nubes lucescentes perfodientibus; sinistri, lupini, bicipites, vultibus furientibus, dextras levabant cum morosi et malevoli mundi humani limitem observarent horroreque algidi mundi borealis regiones custodirent qui humanus non erat. Ab istorum gremiis foedis orti sunt grypes malevoli magnitudine elephantina, qui vero insane vociferantes fugerunt ubi empusas antecedentes in caelo caliginoso aspexerunt. Ad boream supra montana Gorgonea antefixa volavit exercitus supraque desertorum leugas vacuas ubi nullum signum reperiretur. Minus minusque lucebant nubes, donec Carter nonnisi tenebras circum viderit, sed equi volucres numquam processu titubabant, qui terrae cryptis atrioribus oriundi non oculis sed totâ formâ lubricâ umidâque videbant. Porro volabant per ventos odoribus dubios perque voces dubia clamantes in tenebras densissimas, ac tam prodigiosa spatia percurrebant ut Carter secum reputaret utrum adhuc citra Oniriam terrestrem essent.

Statim autem tenues factae sunt nubes et stellae supra phantamastice luxerunt. Omnia infra adhuc nigra erant, sed lucernae pallidae in coelo moveri videbantur sensu quodam et consilio qualia alibi omnino deessent. Haud quidem differebant siderum figurae, sed bene notae formae jam significationem revelabant quam prius exprimere non potuerant. Omnia ad Boream intendebant, coeli micantis curvatura quaeque omnisque aster pars fiebat amplissimae figurae cuius finis erat primum oculum, dein totum observatorem porro properare ad metam quamdam secretam terribilemque quae ultra vastitatem gelidam sine fine extensam convergebat. Carter ad orientem spectavit ubi apicum magnum saepimentum secundum Inquanok iugiter continuatum erat atque formam serratam adversus stellas aspexit qua indicabatur id adhuc esse. Nunc vero fractius erat, hiabant rupes pinnaculaque phantastice erratica et Carter curiose monstruosae delineationis

admonitiones involutas observavit quae pariter ac stellae propensionem subtilem ad boream indicare videbatur.

Tremenda velocitate transvolabant, idcirco observator aspere enitebatur ut minuta perciperet ; statim autem super summorum apicum lineam atrum movensque quid aspexit cujus cursus exacte pari tractu ipsius exercitus paraxeni tenorem servabat. Lamiae quoque id aspexerant, nam audivit eas summis circum susurrantes atque paulisper putavit id grypem giganteum esse, cujus magnitudo communem mensuram valde superaret. Mox autem advertit falsam esse aestimationem suam, nam negotii forma super montes ab avi hippocephala differebat. Ejus nempe delineatio ad stellas versus, quamvis ipsa natura vaga, potius ingentis capitis mitrati, sive binorum capitum infinite ampliatorum, similis erat ; insuper cursus ejus velox subsiliensque trans caelum omnino volucer non videbatur. Cartero anceps erat in utro montium latere id curreret, sed mox percepit ei partes infra esse eas quas primum aspexerat, cum earum opera occultarentur stellae in rupium altis intervallis.

Tunc amplius hiatus in apicum jugo patuit, ubi horrendae Leng transmontani regiones harum partium vastitati algidae conjungebantur saltu humili per quem stellae pallide lucebant. Carter hiatum hunc maxima cum cura observabat, cum novisset ibi se visurum erat ingentis negotii, quod super pinnacula undose volabat, partes inferiores in caelo delineatas. Negotium jam aliquantulum eos antecedebat et exercitus oculi omnes in praerupta intensi erant ubi continuo tota figura apparitura erat. Ingens negotium super apices gradatim hiatum appropinquabat, cum satis vestigia premeret, quasi intellegeret se lamiarum exercitum nimis antecessisse. Adhuc temporis intervallo suspensi sunt animi, dein venit perbreve totius figurae revelatae momentum, qua de causa lamiae pavescentem anhelantemque terroris cosmici vagitum emisissent atque viator horrore percussus est qui posthac ipsum numquam penitus reliquit. Nam forma monstruosa subsiliens quae jugo imminuit nonnisi caput fuit, immo caput duplex mitratum, infraque currebat corpus horrifice tumescens quod id ferebat, monstrum montis simile quod silenter et furtive ambulabat, deformis hyaenae similis forma humana ingens quae taetre in caelo

delineata tolutim ibat, cum bina ejus capita mitrata odiosaque fere caeli apicem attingerent.

Animus Carterum non reliquit, neque exclamavit quidem, nam somniator erat veteranus, at retro horrescens spexit et pavore captus est cum vidisset aliorum capitum monstruosorum figuras super apicum lineam existere, quae post primam furtive subsiliebat. A tergo vero aspiciebantur tres ingentes formae montanae plene ad stellas meridionales versus delineatae quae digitis pedum erectis lupine ambulabant et titubabant, cum earum mitrae altae pluries milies pedibus in aere nutarent. Constabat montes incisos in severo semiorbe ad Inquanok boream subsidentes, levatis dextris, non remansisse. Istis erat officia perfungenda quae non negligerent. Omnium vero horrendum erat istos numquam loqui neque ambulantes sonum facere.

Interim autem lamia quae quondam Pickman fuerat voce volubili jussum empusis emisit et totus exercitus altius in sublime latus est. Sursum ad stellas se conjecit agmen monstruosum, donec nihil in caelo delineatum jam adspectum sit, neque iugum graniticum cinereumque immobile neque montes incisi mitratique moventes. Omnia infra tenebrae erant cum legio vagiens ad boream volaret inter ventos furientes et risus in aethere invisibiles, neque umquam gryps vel entitas minus citanda a desertis infestatis orta est ut se persequeretur. Quo longius ibant, eo velocius volabant, donec eorum velocitas vertiginosa sclopeti glandem superare videretur similemque fieri planetae in orbita sua. Miratus est Carter adhuc terram infra se extendere posse cum tanta velocitate procederent, sed noverat in Oniria paraxenas proprietates esse dimensionibus. Pro certo habebat se jam in noctis perpetuae regno esse atque sibi fingebat sidera supra subtiliter impetum septentrionalem suum amplificavisse, quasi sese colligentes ut exercitum volucrum in vacuum ad polum borealem projicerent, sicut marsupium implicatur ut ultima substantia quam continet ejiciatur.

Tunc perterritus ille animadvertit jam empusas alis non plaudere. Equi cornuti sine vultu alas suas membranaceas convolverant atque inertes in ventorum vortice cachinnantium resquiescebant quibus auferebantur. Vis non terrestris exercitum arripuerat atque tum lamiae cum empusae pariter inermes erant in torrentem qui ipsas dementer

atque inexorabiliter ad boream trahebat, unde nullus mortalis umquam redierat. Tandem lumen pallidum et solitarium aspectum est in caeli finitore, quod posthac constanter consurgebat cum appropinquarent infraque habebat massam nigram quae stellas oblitterabat. Vidit Carter id verisimiliter pharum esse super montem situm, nam mons tantum tam altus ingensque eminere posset a tanta altitudine in aere visus.

Altius altiusque oriebatur lumen cum nigritudine inferiore, donec totum caelum boreale a crudi massa conica obscuraretur. Cum sublimis volaretur exercitus, altius eminebat pharus pallidus et sinister, monstruose apices omnes superans aliaque pertinentia, necnon aetherem redolens ubi luna cryptica planetaeque dementesolvebant. Qui a fronte eminebat nullus mons erat hominibus notus. Altae nubes in imis nonnisi ornamenta pedemontana ei erant. Acer summi aeris vertigo nonnisi ejus renium cingulum exsistebat. Pons superbus atque phantomaticus inter terram caelumque ascendebat, in nocte perpetua niger, sideribus ignotis coronatus quorum delineatio formidolosa momento quoque clarior fiebat. Admiratione vagivere lamiae ubi eum aspexerunt horruitque Carter cum vereretur ne totus exercitus praecipitans rupis cyclopeae onychi duro allideretur.

Altius altiusque oriebatur lumen, donec se summis apicis caelestis orbibus conjunxerit et ex excelsis luride volatores deriserit. Tota regio borealis jam infra tenebricosa erat ; tenebrae nempe taetrae stolidaeque a profundis ad excelsa infinite propagatae, cum pharus ille pallidus supra omnem visionem intactus nictaret. Curiosius Carter lumen consideravit atque tandem advertit qui in stellis describerentur ejus atra lineamenta. Turres in titanio culmine illo stabant, turres scilicet cum horrendis tholis, in perniciosis innumeratisque stratis et cumulis dispositis, ultra omnem humanam fabricam quae somnari posset ; pinnae exsistebant et podia mirabilia atque minacia, at omnia pusilla evadebant et nigra et longinqua in corona stellata delineata quae malevola in extremo visionis limite micabat. Maxime omnium immenso monti illi superstabat castellum ultra omnes mortalium excogitationes intusque nictabat lumen daemonicum. Tunc novit Randolphus Carter peractam esse quaestionem suam seque nunc videre finem omnium interdictorum

itinerum audacumque visionum, incredibilem nempe Megistorum patriam supra ignotam Cadath.

Dum haec intellegit, Carter animadvertit inertis exercitus ventis jactati cursum mutari. Nunc abrupte ascendebant cum pateret volatus metam esse castellum onychinum ubi lumen pallidum micabat. Adeo prope erat magnus mons ater ut vertiginose iuxta currerent ejus latera cum sursum projicerentur ipsi, at in tenebris nihil distingui ibi poterat. Ampliores amplioresque supra imminebant obscurae castelli nocturni turre atque vidit Carter id fere sacrilegium esse immensitate. Ejus lapides nimirum ab operariis infandis excisi essent in horrendo illo gurgite in saltus rupe evulso in Inquanok septentrione, nam tantae erat magnitudinis ut quis in limite ejus staret paris esset omnino libellae cum maxima terrestri arce. Ignotorum siderum corona super turrularum tholatarum myriades luce lurido morbidoque micabat, itaque quasi crepusculum lubrici onychis muros caliginosos illinebat. Pharus pallidus nunc fenestra una lucens exsistebat in turri quadam excelsa insita atque, cum exercitus inermis summum montem appropinquaret Carter sibi visus est umbras injucundas distinguere in lucis debilis spatio fluctuantes. Fenestra erat mirum in modum arcuata, cujus forma a terra omnino aliena evadebat.

Solidus castelli monstruosi saxus fundamentis giganteis continuatus est atque exercitus velocitas aliquantum minui visa est. Aspecti sunt muri ampli et breviter porta magna qua projecti sunt viatores. In area titaniaca omnia nox erant, dein venit intimorum tenebrae profundiores, cum agmen per portam arcuatam ingentem versatum sit. Venti frigidi vortices umide per labyrinthos onychinos sine exitu orti sunt neque Carter discernere potuit quae scalae cyclopeae andronesque silenter juxta viam jacerent cum sine fine in aere torqueretur. Semper sursum immersione horrenda ferebantur at nihil audire, tangere, videre potuerunt quo densum mysterii velamen levaretur. Quamvis amplius esset lamiarum empusarumque exercitus, in vacuitate castelli illius plus quam terrestris prodigiosa amittebatur. Ubi tandem lumen luridum in una turris aula statim circum apparuit cujus fenestra excelsa sibi pro pharo fuerat, post diuturnius intervallum Carter

distinguere potuit parietes procul distantes tectumque atque animadvertere se jam in aere externo infinitoque non esse.

Randolphi Carteri in votis fuerat ad Megistorum thronum adire cum dignitate et gravitate, cum comites forent sociique lamiarum acies rite dispositae, ut tamquam liber atque potens somniator preces suas offerret. Notum ipsi fuerat ipsos Megistos aliquatenus mortali potentia tractari posse et fortunae commiserat ne Di Alieni reptansque chaos eorum Nyarlathotep auxilio istis venirent in ultimis, sicut saepius egerant prius cum homines deos terrestres in illorum patria montibusve visere conarentur. Immo cum comitatu suo odioso fere sperare ausus est ipsos Deos Alienos provocare, si necesse esset, cum novisset lamiis dominos non esse empusasque non Nyarlathotep sed Nodentis pristini potestatem tantum agnoscere. Sed nunc constabat Cadath supernaturalem in vastitate algida redimire mirabilia atra custodesque infandos atque Deos Alienos vigilantiam securam Terrae deos mites debilesque observare. Quamquam auctoritate careant in lamias empusasque, spatii exterioris sacrilegia ista sine mente formaque tamen eas premere, si opus est, possunt ; itaque non tamquam liber composque sui somniator Randolphus Carter ad Megistorum thronum cum lamiis suis venit. Incuborum stellarium procellis versatus actusque, vastitatis borealis horroribus invisibilibus repressus exercitus totus in lumine lurido fluctuabatur atque iners in pavementum onychinum delapsus est cum jussu sine voce emisso pavoris venti dissoluti sint.

Non ad suggestum aureum venerat Randolphus Carter, neque circum stabat orbis augustus entitatum coronis ornatarum nimbisve, quarum oculi angusti, aures longae, nares tenues, mentum acutum consanguines indicarent vultus illius in Ngranek incisi dignosque esse quos somniator adoraret. Excepta una turris aula atrum erat castellum onychinum super Cadath aberantque heri. Carter ignotam Cadath in vastitate algida pervenerat, sed deos non invenerat. Attamen lumen luridum in aula turris illa micabat, cujus amplitudo minor non erat quam omnes aliae exteriores, cujusque parietes tectumque procul distantia fere sibi invisibilia erant in caligine tenui et convoluta. Aberant quidem di terrestres, sed non carebant praesentiae subtiliores et minus visibiles. Cum absint di mitiores, Di Alieni non sine repraesentatione existunt et

oppido castellorum castellum onychinum sine incolis minime erat. Qua autem forma odiosa quibusve formis terror sese revelatura esset Carter fingere non poterat. Percipiebat exspectatam esse visitationem suam et secum reputavit quam curiose se ipsum constanter observavisset chaos reptans Nyarlathotep. Nam Nyarlathotep, formarum infinitarum horrorem animamque taetram nuntiumque Deorum Alienorum, colunt bestiae lunares fungosae atque recordatus est Carter triremem nigram quae fugerat cum pugna in scopulo serrato marino in abnormalitates batrachoides se vertisset.

Cum haec secum reputaret, vacillans pedibus stetit in medio incuborum comitatu ubi inopinato per infinatam aulam pallide illuminatam sonavit daemoniaca tubae vox odiosa. Ter resonavit horrendus ululatus aeneus atque cum tertius flatus sonibus cacchinantibus siluisset, Randolphus Carter advertit se jam solum esse. Quo, cur, quomodo lamiae empusaeque e medio sublatae essent ipsi non erat divinandum. Tantum noverat se actutum solum factum esse atque potestates invisibiles quae deridentes circum latitarent qualescumque fuissent terrestres Oniriae potestates amicas non existere. Statim ex aulae regione extrema sonus novus ortus est. Etiam tubicinatio rhythmica fuit, sed cuius genus valde differebat a tribus flatibus qui honestum ipsius comitatum dissolverant. Summisso enim concentu resonabat tota melodia somniorum aetheriorum mirabilis cum in omni chorda extranea subtilique ictu alieno flueret conspectuum exoticorum venustas quae imaginationem superabat. Thuris odores advenientes numeris aureis congruerunt, atque supra micavit lux magna cuius colores secundum spectrum in terra ignotum mutabantur dum tubarum voces in miranda harmonia symphonica sequuntur. Faces procul flagraverunt cum tympana appropinquantia pulsarentur inter exspectationis intensae undas.

E caligine tenuiore facta exque thuris alienigenae nube duplex servorum nigrorum giganteorumque acies lumbaribus cincti sericis irinisque processit. Capitibus alligatas ferebant faces metalli scintillantibus galeatas, e quibus basalmorum obscurorum fragrantia fumis convolutis diffundebatur. Dexteris tenebant virgas crystallinas quarum extremitas sculpta chimaerarum distortarum formas praebebat, cum sinistris

argentinas tubas longas tenuesque tenerent quas vicissim canebant. Armillas periscelidesque aureas habebant, atque catena aurea inter periscelides binas processorum gradum reprimebat. Patebat eos genuinos nigritas esse Oniriae terrestres, cum minus veri simile erat eorum mores ritusque omnino terrestres esse. Binae acies a Cartero pedibus decem distantes constiterunt atque simul tuba quaeque tubicinis labiis crassis allata est. Continuo ferus atque ecstaticus flatus emissus est, ferior autem clamor quem gularum nigrarum chorus profudit, miro quodam artificio exilis factus.

Dein juxta amplam viam inter binas acies forma processit sola, procera nempe gracilisque figura qui juvenem antiqui Pharaonis vultum praebebat, hilaris stolaque indutus prismatica, cujus corona aurea luce propria micabat. Proxime ad Carterum venit figura illa regia, cujus incessus superbus faciesque elegans dei atri delapsive archangeli fascinationem exprimebant oculique languidam animi mutabilis scintillam continebant. Locutum est, atque in vocibus suavibus fera Lethaeorum torrentium musica undanter sonabat.

« Randolphe Carter, » vox ait, « ad Megistos venisti quos nefas est homines visere. Id retulerunt observatores atque Di Alieni grunniverunt cum amentes tiliarum tenuium sonu in obscuro ultimo vacuo oscillant vacillantque ubi daemon sultanus meditatur cujus nomen nemo ore facere audeat.

« Cum Barzoes ille Sapiens Hatheg-Kia ascendisset ut Megistos spectaret super nubes ad lunam saltantes ululantesque, numquam rediit. Aderant enim Di Alieni et quod agendum erat egerunt. Zenig Aphoratensis conatus est ignotam Cadath in vastitate algida pervenire, nunc vero ejus calvaria anulum ornat in illius digito quem nominare piget.

« Tu autem, Randolphe Carter, omnia Oniriae terrestres pericula suscepisti adhucque quaestionis flamma ardes. Non ut curiosus venisti, at sicut debitum tuum quaerens, neque umquam reventiae oblitus es in Terrae mitiores deos. Attamen di illi te a mirabili solis occidentis urbe prohibuerunt quam somnis videras, cujus causa fuit eorum ipsorum aviditas, nam profecto extraneam venustatem cupiebant quam

imaginatio fabricaverat tua et votum fecere nullum alium locum pro mansione habere.

« Castellum suum supra ignotam Cadath reliquerunt ut in urbe tua mirabili manerent. Per ejus palatia marmore venoso confecta interdium comissantur atque sole occidente in hortos fragrantis exeunt et splendorem aureum spectant super templa porticusque, pontes arcuatos fontiumque labra argentea, ampliarumque platearum urnas floridas, statuarumque eburnearum acies renidentes. Sub noctem vero alta xysta rore madida ascendunt et in scamnis sedent porphyrita excisis ut stellas considerent, aut cancellis pallidis nisi oppidi clivos septentrionales contemplant, ubi veterum fastigiorum fenestellae singillatim candelarum domesticarum dulci lumine micant.

« Di urbem tuam mirabilem amant atque non jam in deorum viis ambulant. Terrae aliorum locorum obliti sunt montiumque quos noverat eorum juvenus. Iam terrae di desunt qui di sint et spatii exterioris Di Alieni tantum immemoratae Cadath praestant. Procul in tuae ipsius pueritiae valle, Randolphe Carther, ludunt Megisti inoboedientes. Nimis bene somniavisti, o sapiens archisomniator, nam somniorum deos a mundanis hominum visionibus ad tua propria detraxisti ; pueritiae tuae parvis ficturis urbem elaboravisti omnibus phantasmatis prioribus amabiliorem.

« Non decet deos terrestres thronos suos araneis relinquere, regnumque suum Dis Alienis cui Alienorum more obscuro praestent. Libenter potestates exteriores tibi chaos horroreque affligant, Randolphe Carter, qui causa es earum eversionis, nisi noverint te solum deos ad mundum suum revocare posse. In Oniria semivigile quae tua propria est nulla noctis extremae potestas instare valet, tu solus Megistos libidinosos ab urbe solis occidentis mirabili tua dimittere potes, ut per crepusculum boreale ad locum suum optatum super ignotam Cadath in vastitate algida redeant.

« Itaque, Randolphe Carter, in Deorum Aliorum nomine tibi parceo mandoque ut istam solis occidentis urbem quaeras illincque deos somniculose ludentes dimittas quos Oniria exspectat. Neque difficulter deorum febris illa roseola invenietur, tubarum supernaturalium

concentus ille, immortaliumque cymbalorum clangor, mysterium illud
cujus locus sensusque per aulas vigiles gurgitesque somniantes te
infestaverunt torseruntque memoriarum delapsarum fragmentis
doloreque rerum perditarum terribili et portentoso. Haud difficulter
invenientur dierum tuorum admirantium symbolum reliquiaeque, nam
id nonnisi gemma existit immota et aeterna quae totam admirationem
illam continet micando semitam tuam vespertinam illuminantem.
Aspice! Non per maria ignota sed trans annos familiares retro
quaestionem tuam agas oportet; retro scilicet ad claras mirandasque
pueritiae res adque conspectus sole splendente fugitivos magicosque
quos scaenae antiquae oculis tuis puerilibus praebuerunt.

« Nam noveris urbem istam auream marmoreamque nonnisi
summam esse omnium quae in juventute vidisti atque amavisti.
Splendor existit tectorum in Bostoniae collibus fenestrarumque
occidentalium sole occidente ardentium, floridaeque Communiae
tholique magni in colle atque fastigiorum caminorumque in valle violea
implicatorum ubi annis Carolus multis pontibus somniculose fluit. Haec
primum vidisti, Randolphe Carter, cum nutrix tua te ineunte vere foris
carrulo perambulatorio vexit, atque novissima erunt a te visa memoriae
amorisque oculis. Est quoque Salem, urbs perantiqua per lustra meditans,
atque Marblehead spectralis quae priora saecula praeruptis saxosis
numerat! Et splendor Salemensium turrium campaniliumque eminus
trans portum conspectarum a Marblehead pabulis occidente sole.

« Est Providentia, insolita atque imperiosa in septem collibus suis
sita super portu caeruleo, cujus solaris viridescencia ad speculas ducunt
arcesque antiquas at viventes; Novus Portus quoque phantasmaticae
a molibus soporatis oriens. Ibi etiam est Arkham, cujus tecta fastigiata
muscus circumlinit, poneque prata saxosa undant; atque Portus Regius
antediluvialis caminis coacervatis, caeis desertis, fastigiis pensilibus, cum
ultra cautes praeruptas in mari caliginoso saltitant cortices.

« Concordiae valles frigidulae, Ostiae Portuariae campi
pavimentati, Novae Hampshire rusticae viae in crepusculo se flectentes,
ubi ulmi ingentes villularum parietes albos fere occultant puteorumque
orbiculos stridentes. Glovicastrorum crepidines salares, Truronis salices
ventosae. Oppidorum turritorum conspectus distantes, colles post colles

juxta Litus Boreale, saxosi clivi silentes, casae humiles hederatae in scopulis ingentibus sitae in Insulae Rhodiensis recessibus. Maris odores, arborum fragrantia, silvarum nigrarum fascinatio, pomariorum hortorumque gaudium matutinum. Haec omnia, Randolphe Carter, urbs tua existunt, nam tu ipse sunt. Nova Anglia te genuit et in animam tuam venustatem incorruptibilem diffudit. Quae venustas per annos memorando somniandoque formata atque polita mirabile solarium tuum occasuum solis fugitivorum existit; ut vero podium marmoreum invenias istud urnis mirandis cancellisque incisus tandemque descendas juxta gradus infinitos ad urbem plateis amplis fontibusque prismaticis, tantum opus est te ipsum ad cogitatus visionesque pueritiae tuae libidinosae vertere.

« Aspice ! Per hanc fenestram noctis perpetuae stellae lucent. Nunc demum scaenas locaque illustrant quae novisti et amavisti, dum eorum incantamento temet imbuis ut amabilia super somniorum hortos lucent. Ecce Antares, nunc demum super Strata Tremontana nictat atque eum a fenestra tua in Phari Colle videre poteris. Ultra stellas has hiant abyssus unde heri mei amentes me miserunt. Aliquando eas ipse percures, at, si sapis, a tanta insania cavebis, nam e mortalibus qui iverunt redieruntque, unus tantum mentem servat vacuitatis horroribus conterrentibus intactam. Terrores enim blasphemiaque invicem de spatio certant mordentque et plus mali in minoribus inest quam in majoribus, ut ipse ex eorum actis qui conati sunt te in manus meas tradere novisti, cum equidem te percutere nollem, immo jamdiu tibi opem tulissem nisi alibi occupatus fuisset proque certo habuissem te ipsum salvum facere posse. Infernos ergo exteriores fuge et rebus placidis amabilibusque juventutis tuae adhaere. Mirabilem urbem tuam quaere illincque Megistos ludentes expelle, eosque leniter his scaenis dimitte quae ipsorum juventutis fuere et quae eos reduces anxie exspectant.

« Facilior etiam quam memoriae obscurae via est via quam tibi parabo. Aspice ! Ecce venit gryps monstruosus, quem ducit servus forma invisibilis, ut placetur mens tua. Conscende atque paratus esto – En tibi ! Yogash Niger te ad monstrum squamosum conscendendum adjuvabit. Stellam illam in apicis caelestis meridie demum sitam pete ; Vega est quae horis binis super urbis solis occidentis tuae solarium erit. Illam

hactenus pete donec procul distantem cantum in alto aethere audias. Alte enim dementia perambulat, itaque grypem frena cum primae notae musicae te alliciant. Tunc ad terram retrospice atque videbis flammam altarium Ired-Naa immortalem a templi sacro tecto splendere. Quod templum in desiderata tua solis occidentis urbe est, itaque id pete antequam cantum audias pereasque.

« Ut prope urbem fueris, ipsos cancellos altos pete unde olim splendorem extensum spectabas grypemque punge donec clamet. Quem clamorem Megisti audient atque agnoscent dum in solariis fragrantibus sedent, itaque tanto suorum desiderio capientur ut urbis tuae mirabilia de Cadath castelli severi absentia eos non consolet aeternarumque stellarum quae id coronant.

« Dein inter eos grypem ad terram appelles sinesque eos avem hanc foedam et hippocephalam videre tangereque ; interim iis de ignota Cadath confabulaberis, quam tam paulo ante reliqueris et dices quam jucundae et obscurae sint ibi aulae infinitae, ubi pridem saltabant comissabanturque in splendore supernaturali. Atque gryps iis loquetur grypum more, sed ei nulla vis persuasoria erit praeter priorum dierum memorias.

« Iterum iterumque Megistis vagabundis de eorum domo juventutique loqui debes donec fleant demum rogentque viam ostendi cujus obliti sunt. Tunc licebit grypem expectantem solvas, eum ad coelos dimittens ejusque generis reduce voce stimulans ; qua audita Megisti prisca laetitia exsultabunt atque continuo deorum more avem odiosam sequentur, per profundos caeli gurgites ad Cadath turres tholosque domesticos.

« Deinde mirabilis solis occidentis urbs tua erit in perpetuum ut ames habitesque, et denuo di terrestres hominum somnia moderabuntur e sede sua assueta. Nunc abi – fenestra patet et stellae foris opperiuntur. Jam gryps tuus impatiens anhelat et cacchinat. Trans noctem Vegam pete, sed ubi sonaverit cantus deflecte. Hujus monitus noli oblivisci, ne horrores incredibiles te in dementiae ululantis abyssum absorbeant. Deorum Alienorum memento ; magni sunt et amentes et terribiles, et in vacuis exterioribus perambulant. Boni sunt ad vitandum di.

« *Hei ! Aa-shanta 'nygh ! Iam vade ! Ad propria deos terrestres dimitte in ignotam Cadath, spatiumque universum supplex ora ne me umquam in mille aliis formis meis occurras. Vale, Randolphe Carter, atque cave, nam ego sum Nyarlathotep, Chaos Reptans.* »

Continuo Randolphus Carter vertigine in grype odioso suffocatus clamans in spatium profectus est ad lucem frigidam caeruleamque Vegae borealis versus ; semel tantum respexit onychini incubi turres chao coacervatas ubi adhuc lumen luridum solum micabat e fenestra super Oniriae terrestris aere nubibusque. Cum magni horrores multipedes prope laberentur atque circum vespertilionum invisibilium alae pulsarent, tamen avis squamosae iubam odiosam firmiter tenebat. Stellae derisoriae saltabant, fere formas interdum mutabant in pallida leti signa qualia miraretur qui prius non visa essent metutaque ; atque venti inferi jugiter in tenebris vagis ululabant solitateque transmunda.

Dein per firmamen constellatum silentium portentosum propagatum est omnesque venti et horrores evanuerunt sicut nocturna prima luce evanescent. Undis tremulis quas nebularum fimbriae aureae vix visibiles faciebant orta est nota timida distantis melodiae, chordis murmurantis nostro stellarum universo ignotis. Cum augesceret musica, gryps aures adrexit atque porro se praecipitavit, cum Carter pariter corpus flexerit ut jucundum quemque sonum perciperet. Cantus erat, sed non ullius vocis cantus. Eum canebant nox et sphaerae, et jam vetus erat cum spatium ipsum et Nyarlathotep et Di Alieni nascerentur.

Velocius gryps volabat atque humilius se flectebat ascensor, gurgitum mirorum mirabilibus ebrius quem magia extranea laqueis crystallinis convolvebat. Sero venit malefici monitus, daemoniaci legati nempe acerba admonitio qua investigatorem suaserat ut a canti illius dementia caveret. Contumeliae causa tantum Nyarlathotep viam indicaverat ad salutem adque urbem solis occidentis mirabilem ; derisus causa tantum nuntius ater deorum lusorum secreta revelaverat, quos facile ad libitum ipse dimittere potuerat. Nam dementia feraque vacui ultione tantum Nyarlathotep audaces donat, cumque furienter ascensor equum foedum deflectere conaretur, gryps distorto vultu cachinnans inexorabiliter cursu continuabat impetuoso, dum amplis alis lubricis malevolo gaudio plaudit gurgitesque petit impios quos nullum somnium

atingat, infimam scilicet confusionis informis plagam ubi in medio infinito spumat blasphemisque amens daemon sultanus Azathoth, cujus nomen nulla lingua clare emittere audet.

Obstinate legati foedi jussa oboediens avis infernalis porro praecipitavit trans informium latitantium acervas saltitantiumque in tenebris, transque entitatum vagarum greges inanes quae praetentabant tangebantque sine fine; infandi scilicet Deorum Alienorum pupuli, qui pariter caeci sunt amentesque, atque fame sitique singulari capti.

Porro obstinate inexorabiliterque, cujus cacchini risibus congruebant bacchabundis in quos transformatus erat noctis sphaerarumque cantus, monstrum squamosum ascensorem suum inertem vehebat, qui clamabat et ululabat dum extremum limitem praestringit et infimam abyssum considerat; stellas relinquebat materiaeque regna et quasi cometa trans informitatem absolutam se conjiciebat ad cameras inconceptibiles tenebricosasque ultra tempus, ubi Azathoth informis rodit et famelicus inter tympanorum vilium pulsationes surde mentes obtundentes gemitusque odiosos tiliarum execrabilium.

Porro, porro trans gurgites ululantes, cacchinantes, taetre celebratos, atque statim a distantia feliciter obscura Cartero jam damnato venerunt imago et consilium. Nimis sollerter Nyarlathotep derisoriam temptationem suam excogitaverat, aliquid enim suscitaverat quod nullus terroris gelidi flatus penitus obliterare posset: Patriam - Novam Angliam - Phari Collem - mundum vigilem.

« Nam noveris mirabilem urbem istam auream marmoreamque nonnisi summam esse omnium quae in juventute vidisti atque amavisti... Splendor existit tectorum in Bostoniae collibus fenestrarumque occidentalium sole occidente ardentium, floridaeque Communiae tholique magni in colle atque fastigiorum caminorumque in valle violea flexuosorum ubi amnis Carolus multis pontibus somniculose fluit... Quae venustas per annos memorando somniandoque formata atque polita mirabile solarium tuum occasuum solis fugitivorum existit; ut vero podium marmoreum invenias istud urnis mirandis cancellisque incisis tandemque descendas juxta gradus infinitos ad urbem plateis

amplis fontibusque prismaticis, tantum opus est te ipsum ad cogitatus visionesque pueritiae tuae libidinosae vertere. »

Porro, vertiginose porro ad ultimam damnationem per tenebras ubi membra caeca praetemptabant atque rostra mucosa pulsabant et negotia sine nomine cacchinabant cacchinabantque. Sed venerunt imago et consilium, atque Randolphus Carter pro certo habuit se somniare, somniare tantum, atque in postscaena alicubi esse mundum vigilem adhucque jacere pueritiae suae urbem. Verba iterum facta sunt: « Tantum opus est te ipsum ad cogitatus visionesque pueritiae tuae libidinosae vertere. » Verte - verte - circumquaque tenebrae, sed Randolphus Carter se vertere poterat.

Per densum incubum qui sensus suos comprehendebat, Randolphus Carter se vertere et movere poterat. Se movere poterat, si libebat a maligno grypo desilire poterat qui ipsum iubente Nyarlathotep deorsum ad damnationem nocenter vehebat. Desilire poterat et profundorum nocturnorum pericla adire quae sine fine infra hiabant, pavoris nempe abyssum cuius terror tamen damnationem nefandam superare non poterat quae in medio chao latitabat. Se vertere movereque poterat ; poterat ac volebat, volebat quidem.

Ab ingente abominatione hippocephala desiliit somniator damnatus et desperatus, atque per vacua animantium tenebrarum infinita delapsus est. Aeones vacillaverunt, universa perierunt exque integro nata sunt, stellae nebulae factae sunt, nebulaeque stellae, cum adhuc Randolphus Carter per vacua animantium tenebrarum infinita delaberetur.

Dein in aeternitatis cursu tarde reptante extremus universi circulus in aliam completionem futilem pulsatus est, iterumque facta sunt omnia qualia innumeratis ante aeonibus facta erant. Ex integro natae sunt materia et lux quales olim spatium eas noverat ; cometae, soles, mundi flagrantis ad vitam venerunt, quamquam nihil supererat quod moneret eas prius fuisse periisseque, iterum iterumque ad nullum principium.

Denuo firmamentum factum est, et ventus, et lucis violaceae fulgor in somniatoris delabentis oculis. Di facti sunt et praesentiae et voluntates ; venustas et malum, et noctis noxiae clamor cui praeda sua

arrepta erat. Nam per ignotum circulum ultimum superfuerant visio consiliumque ex somniatoris pueritia, nunc vero mundus vigil reffectus erat et vetus urbs dilecta quae talia incorporaret et justificaret. E vacuitate S'ngac Mephitis ianthina viam indicaverat atque priscus Nodens a profundis inexploratis ductionem mugiebat.

Stellae in auroras creverunt, auroraeque in fontes aureos, coccinos, purpureos eruperunt, at somniator adhuc delabebatur. Clamores aetherem diripuerunt cum lucis fasciae daemones exteriores repullissent. Atque Nodens canus gaudio vociferans triumphavit cum Nyarlathotep, dum praedae suae vestigia proxime tenet, fulgore attonitus quod ipsius horrores venaticos in pulverem cinereum trivit, constitit. Randolphus Carter demum amplis gradibus marmoreis ad mirabilem urbem suam descendit, nam redux erat ad venustum Novae Angliae mundum qui ipsum fabricaverat.

Itaque organorum matutinorum myriadibus chordis sibilantibus atque aurora per pluteos purpureos ad magnum Senatus in colle siti tholum aureum flagrante, Randolphus Carter clamorem emittens in cubiculo suo Bostoniensi saltu experrectus est. In hortis seclusis aves pipilabant et vitis clatratae odor profuse e pergulis oriebatur quae avus coluerat. Venustas luminosa in conclavis ornamentis classicis splendebat, cum cattus niger elegansque a somno prope focum oscitans surgeret postquam erus clamore saltuque ipsum dormientem excitaverat.

Infinita vero vacuitate distante, ultra Gravioris Somnis Portam nemusque incantatum regionemque hortorum mareque Cerenianum plagasque Inquanok crepusculascentes, Nyarlathotep chaos reptans meditationes secum agitans castellum onychinum supra ignotam Cadath intravit et insolenter mites deos terrestres derisit quos atrociter a ludis fragrantibus eripuerat in urbe solis occidentis mirabili.

- Glossarium latino-anglicum -

(Gorgonea) antefixa (nt.pl.) : *gargoyle*

balfridum : *belfrey*

bos hirsutus : *yak*

bovipothus, i : *buopoth*

Di Alieni : *The Other Gods*

empusa : *night-gaunt*

formido : *ghast*

gryps, grypis (m.) : *Shandak*

hippotigris, gridis = equus tigrinus : *zebra*

nephritis, is seu iliata, ae (lat. vulg.): *jade ; adj. : nephriticus, seu iliaticus*

lamia : *ghoul*

lapicidinae = lapidicinae

Megisti, orum : *The Great Ones*

mephitis ianthina : *violet gas*

Oniria : *dreamland*

oropedium = paramus

paramus, i = oropedium : *plateau*

prisci dei : *The Elder Ones*